

Le texte proposé ici a été établi a partir de l'édition publiée à Schwäbisch Hall, en 1539.

HELII EOBANI HESSI HEROIDUM LIBRI TRES,
JAM NOVISSIME RECOGNITI ET CORRECTI.

AD GENEROSUM ET MAGNIFICUM DOMINUM PAULUM BARONEM A SVARTZENBERG.

v.1 Cum jaceant tristes hac tempestate Camenae
 2 nec ferat optatam tristibus ullus opem
 3 ausus es afflictis tamen esse fidelis amicus,
 4 o decus et gentis gloria, Paule, tuae,
 5 et cum te tituli decorent et stemmata avorum
 6 et sit imaginibus splendida tota domus.
 7 Plus tamen hinc quod amas non ficto pectore Musas,
 8 crede mihi, verae nobilitatis habes
 9 quae magis abjectae quo sunt et honore carentes
 10 hoc potior laus est has coluisse tibi.
 11 Cum vel honoratas soleant pars maxima vulgi
 12 spernere, nec dignas ducere laude sua,
 13 praecipue clari quos gloria sanguinis inflat,
 14 et quorum validae facta tuentur opes.
 15 Cum tibi sint et opes, cum sis et sanguine clarus,
 16 nec tamen has partes deseruisse queas.
 17 Dignus eras cui perpetua de fronde coronam
 18 inciperent nostrae nectere Pierides.
 19 Et cum nos etiam praeconia nulla merentes,
 20 laudibus immodicis per tua scripta vehas.
 21 Cum decores nostras non tantum laude Camenas,
 22 verum etiam immeritis aurea dona feras.

23 Dignus eras quem cognato sibi nomine dignum
 24 inciperent nostrae ducere Pierides.
 25 Incipiunt, jamque aeternos meditantur honores,
 26 quos tibi pro meritis, inclute Paule, ferant.
 27 Utque tibi quondam faciles juvenilibus annis
 28 inque sinu fotae saepe fuere tuo.
 29 Sic tibi nunc cupiunt aucto melioribus annis
 30 non aliquo tantum displicuisse modo.
 31 Quas igitur tecum primis Heroidas annis
 32 lusimus, has tecum restituisse libet.
 33 Nam quia tunc cultus ignoravere decentes,
 34 et data vix natis forma sine arte fuit.
 35 Ergo vagas patriam revocatas nuper ad arcem
 36 imbutas cultu jussimus esse novo.
 37 Ut quemcumque leves inde egrederentur in orbem
 38 veste placere iterum candidiore queant.
 39 Et nimium, quamvis lascivia sumpta deceret,
 40 in forma vicii luxuriante fuit.
 41 Ergo nimis longae fluitantia syrmata vesti
 42 visum erat artificii praeseecuisse manu.
 43 Quaeque nimis laxae velabant corpora pallae
 44 dempsimus, et longae pendula texta stolae.
 45 Responsura habiles contraximus omnia ad artus,
 46 forma prior castis non satis apta fuit.
 47 Ordine deinde alio discretas ire puellas
 48 jussimus, et proprium quamque tenere locum.
 49 Namque ita confuse prius et sine legibus ibant,
 50 ut foret incerti gratia nulla chori.
 51 At mea nunc triplici discrimine turba puellae,
 52 audaces populo plena theatra petunt.
 53 Prima loco positas vulgo subsellia praebent.
 54 Quas Evangelii littera testis habet.
 55 Alter habet mistas vero falsoque sorores,
 56 tertius (ut fama est) omnia falsa locus.
 57 Non ita falsa tamen nequeant ut vera videri,
 58 veraque si quaedam dempseris, esse queant.
 59 Nam rudis historiae mala somnia miscuit aetas,
 60 diraque pro vero corpore monstra tulit.
 61 Sic mihi mista tamen genus hoc sunt omnia veris,
 62 ut prodesse magis quam nocuisse queant.
 63 Qui prius ergo vagi fuerant et in ordine nullo,
 64 jam fiunt ista tres ratione libri.
 65 Praeterea maculas quas invexere notantum
 66 aere novo, nostrae seposuere manus.
 67 Nos quoque natura nimium juveniliter usi,
 68 scripsimus, audaci multa linenda manu.
 69 Quae tamen ut veniam, quia sunt revocata, merentur,
 70 sic eadem vitio non caruisse pudet.
 71 Dum tamen ingenui non sint ea signa pudoris
 72 frivola, me certe depuduisse decet.
 73 Nam sua qui vere possunt errata fateri,
 74 se venia dignos qualibet esse docent.
 75 Has igitur tali reparatas arte puellas,
 76 virtuti offerimus, candide Paule, tuae.
 77 Ut qui virginibus semper comes esse Camenis,
 78 et solitus nugas sis adamare meas.
 79 Hae tibi non cultas Musas Heroides aequent,
 80 Musarum possint sed tamen esse loco.

81 Pieridum veros coluisti semper honores,
82 haec sunt Pieridum pignora vera tibi.
83 Qua colis ergo sacras et adhuc tua numina Musas,
84 cur non hic habeas Musica scripta fide ?
85 Accipe vicina reduces a morte puellas,
86 ingenio lusus convenit iste tuo.
87 Nam quia Musarum puer enutritus in umbra,
88 numina nunc etiam non puer ista colis ?
89 Quis non immemores, quis non causetur iniquas,
90 si tibi pro meritis praemia nulla ferant ?
91 Et cum Musarum cultores semper amaris,
92 certatim hos aequum te coluisse fuit.
93 Salve, summe tuae gentis decor, incluta cujus
94 nomina perpetua laude virere facis.
95 Jam tua venturo virtus assurgit honori,
96 amplius haud totam se tua fama capit.
97 Jam tua sublimis caelo se gloria tollet,
98 qua vagus Oceanum Phoebus utrumque videt.
99 Tu modo nobilium sanguis generose parentum,
100 adjicias titulis signa fac ista tuis.
101 Nec te paeniteat nostras coluisse puellas
102 quas damus officio gratificante tibi.
103 Tempus erit quo tu laudabere nominis hujus,
104 nec tua de Musis fama jacebit iners.
105 Atque aliquis nostri spectans monumenta laboris,
106 hoc Paulus, dicet, nomine dignus erat.
107 Felix quem tales potuere adamasse puellae,
108 ille est perpetua laude ferendus amor.
109 Dixerit haec aliquis, numquam tua fama peribit
110 semper et in nostro carmine vivus eris.
111 Quod quamquam poteras per te praestare tibi ipsi,
112 et tua se virtus teste superba fuit.
113 Plus tamen accedet laudis, mihi crede, quod ista
114 laude tua dignus visus es esse mihi.
115 Accipe nunc igitur notas tibi, Paule, puellas,
116 quamvis nunc niteant versicolore toga.
117 Protinus agnosces tamen ex levitate sueta
118 ac pereant nimium quas juvat esse graves.
119 Non tamen haec levitas in moribus esse putanda est,
120 carminis est levitas non inhonesta mei.
121 Quod si nil aliud, color est tibi cognitus harum
122 et facies certe nota pudica tibi est.
123 Nam nullas Veneres, non ulla Cupidinis arma
124 non quicquam prae se quod sit inane ferunt.
125 Moribus assuetae castis castissima spondent
126 oscula, quae roseo mista pudore ferēs.
127 Ad quem nam potius desertae Heroides issent
128 quam te qui meritum nominis hujus habes ?
129 Nunc igitur merito te talem Heroa petebant,
130 tutior ut proprii nominis esset honor.
131 Accipe degeneres Heros generose puellas
132 degeneres nisi tu ne videantur agas.
133 Et Musis sacer et Musarum exercite sacris
134 exiguum vates accipe vatis opus.
135 Quod nisi me fallant animi praesagia, toto
136 pectore laetatus jam mea scripta legis.
137 Vos ita, Dii faciles, ita vos concedite, Musae,
138 causa nec est voti plenior ulla mei.

HELII EOBANI HESSI HEROIDUM EPISTOLARUM LIBER I.

QUI HISTORICAS CONTINET.

DEUS PATER MARIAE VIRGINI.

H1_01 v.1 Quam legis, aeternam rebus paritura salutem,
 2 non est mortali littera facta manu.
 3 Pone metus, virgo superis gratissima, non est
 4 quem tremis, infestus nuntius iste tibi.
 5 Ales ab excelso juvenis descendit olympo,
 6 qui tibi non falso pectore dicit, ave.
 7 Sed tibi quod notae non venit epistola dextrae,
 8 forsitan et ignotus palmifer ales erat.
 9 Ergone te superum cuiquam dubitabis amari,
 10 mirarique voles quale sit illud opus ?
 11 Fiet, et ut lente dubites credasque futurum,
 12 accipe de summa nuntia certa fide.
 13 Qui super ingentis regnum tenet ardua mundi,
 14 cujus id immensum dextera claudit opus.
 15 Ille ego sum deus, et rerum suprema potestas,
 16 cujus habes manibus nunc data jussa tuis.
 17 Pone metus iterum nihil est hic, virgo, timendum,
 18 gaudia quin potius quae mediteris, habes.
 19 Num credis jam turpe nihil tibi posse parari,
 20 cum placeas casto casta puella Deo ?
 21 Et ne virgineas longis ambagibus aures
 22 detineam, de te quod meditemur habe.
 23 Laeta tibi gratare tua nascetur ab alvo,
 24 subque tuo verbum pectore fiet homo.
 25 Verbum quo caelos terraeque creavimus orbem,
 26 quicquid et haec extra quicquid et intus habet.
 27 At neque noster amor tactus patiēre viriles,
 28 nostra nec exuta virgine mater eris.
 29 In te per teneram descendet spiritus aurem
 30 noster, et haec uteri causa tumentis erit :
 31 nec dubita, qui cuncta potest id posse necesse est,
 32 et facile est nasci virgine matre Deo.
 33 Ut rata sint veterum per te praesagia vatum,
 34 excipe nos casto virgo pudica sinu.
 35 Est amor afflictæ tandem succurrere plebi,
 36 quam cruciant multos Tartara clausa dies.
 37 Amissam miseris iterum reparare salutem,
 38 atque hominem nobis conciliare juvat.
 39 Fecimus hunc primum terrae de parte recentis,
 40 implerant totum femina virque genus.
 41 Inde frequentandos quos nos plantavimus hortos,
 42 et facili dedimus jussa ferenda modo.
 43 Excidit exiguo nostri reverentia lapsu,
 44 esse deos nobis se voluere pares.

45 Hac prius exciderat culpa, caelosque reliquit
 46 qui miseris noxae conditor hujus erat.
 47 Non tulimus caeli vacuum tot milibus arcem
 48 quoque repleretur nec mora factus homo est.
 49 Jamque ab eo cedunt annorum milia quinque
 50 tempore, cum paucis quos numerare piget.
 51 Sidera nemo hominum postquam super ardua venit,
 52 dum stupet imposita janua nostra sera.
 53 Hanc veteri clausam delicto virginis Evae
 54 tu facies partu virgo patere novo.
 55 Namque quid hoc hominum genus in mea regna creatum.
 56 Oppressum misere perfidus hostis habet ?
 57 Ergo graves dempto patiemur fine querelas ?
 58 Ergone saeve anguis semper inultus eris ?
 59 Flammifer assiduis resonat clamoribus aether,
 60 solve salutifera vincula nostra manu.
 61 Vincimur, et supera terras e sede movemur
 62 Jamque sumus ventris pars quota virgo tui.
 63 Frigida stabit hiems glacialibus alba pruinis,
 64 illo quo primum tempore mater eris.
 65 Atria nec statues regali splendida luxu
 66 nulla tuo veniet pompa puerperio.
 67 Utque pares animum tibi non ignara futuri
 68 pauperies ortus maxima noster erit.
 69 Sic tuus ille orbis dominus sub paupere tecto
 70 editus, ignavum vagiet ante pecus,
 71 in feno et paleis proprio Deus aeditus orbi,
 72 regibus exemplum quod vereantur, erit.
 73 Nec taciti nascemur, erunt nova gaudia, fient
 74 omnia natalis lumine plena mei.
 75 Agresti populo natum cantabit Iesum
 76 caelitus infanti turba ministra Deo
 77 numquid ut audisti dici miraris Iesum ?
 78 Hoc illo nobis tempore nomen erit.
 79 Ortus ad auroram noster procedet, et ipsum
 80 in cunis oriens sentiet esse Deum.
 81 Nam tibi laturos e Perside munera, meque
 82 ducet adorantes praevia stella Magos.
 83 Solutus et antiquo crudelior angue Tyrannus
 84 Herodes regni nomine tristis erit.
 85 Namque canent illo sapientes tempore nasci
 86 qui regat Israel sceptris superba domus.
 87 Quaeret in Hebraeo Judaeum sanguine regem,
 88 multus in immiti concidet ense puer.
 89 Ipsa puerque tuus vobisque minister Ioseph,
 90 ibitis igniferae proxima regna Pharo.
 91 Nempe latens divina, sui nec prodiga virtus
 92 praesentem poterit dissimulare Deum.
 93 Donec ab humana solvatur luce Tyrannus,
 94 natum ex Aegypto tunc revocabo meum :
 95 nata Deo, paritura Deum, decus addita divis
 96 an quia legisti triste quid, aegra doles ?
 97 Ne doleas, nulli ignorant sua gaudia luctus,
 98 prudenter caelo vindice nemo dolet.
 99 Non tamen ignoro quam sis animosa virago,
 100 fortiter in casus quoslibet ire potes.
 101 Scimus enim sacris nondum satis apta dicari,
 102 quanta frequentandam feceris ante domum.

103 Scimus et ad sacras quam sancte vixeris aras,
 104 o digna immensum claudere sola Deum.
 105 Scimus, et ut credas numquam te virgo reliqui,
 106 me sine pars vitae nulla peracta tuae est.
 107 Sive dabas castis manibus pia tura ministris,
 108 seu nivea ferres lumina vota manu.
 109 Ipse aderam praesensque meo cupiebar amori,
 110 nesciaque es votis saepe potita tuis.
 111 Hic meus ardor erit, dixi, meus ignis in illa,
 112 haec est in thalamos digna venire meos.
 113 Sed neque nubigeno descendam tectus in auro,
 114 nec mihi mentitus suscipietur olor.
 115 Qualiter imprudens mentita est cumque vetustas
 116 viderit, ingenio nos meliore sumus.
 117 Nostrum virginea verbum calefiet in alvo,
 118 ut solet a Zephyris crescere planta recens.
 119 Sum tecum tecumque fui puerilibus annis,
 120 adque tuos mores officiosus eram,
 121 nunc quoque cum legeres virgo est paritura Tonantem,
 122 optasti posses illius esse comes.
 123 Adstabam dextraque humerum complexus eburnum,
 124 tune comes dixi quae potes esse parens.
 125 Nec mora de superis legatus Gabriel inquit,
 126 "Vive parens domino virgo futura meo.
 127 I nunc et dubita quis nuntius iste, quis ales,
 128 quid sine mortali sis paritura viro.
 129 Certa tui, non hoc hominum vulgaveris ulli,
 130 ista sed in tacito gaudia conde sinu.
 131 Paulatim incipiet gravidus turgescere venter,
 132 nec vulgo metuas illa vel ista loqui.
 133 Tunc ubi nos vitae primum donaveris isti,
 134 et populis pacem temporibusque feres.
 135 Saecula nobiscum venient non qualia fama est,
 136 falciferum nato deseruisse senem.
 137 Sed quae cum superis mortalia nomina jungant,
 138 et superas faciant sponte patere domos.
 139 Janua placati reserabitur aurea caeli,
 140 claudetur Stygii regia magna Jovis.
 141 Quin etiam sanctae renovabitur ordo quietis,
 142 cessabunt curvae bella sonare tubae.
 143 Caerula non aliquae consternent aequora classes,
 144 Nulla cruentata cede rubebit humus.
 145 Omnis odoratas populus conversus ad aras
 146 Martia securo conteret arma pede.
 147 Scuta virum et galeas mordax rubigo peruret,
 148 abjecto fiet gratior ense ligo.
 149 Tuta locupletes proscindent arva coloni
 150 sponte sua pinguis luxuriabit humus.
 151 Omnia liberius producet munera tellus,
 152 quae vix agricolis ante coacta dabat.
 153 Cetera, quem paries, tecum Deus ipse, loquetur
 154 scribere nunc soli fas erat ista tibi.
 155 Interea parva pondus gestabis in alvo,
 156 quod non angelici sustinere chori.
 157 Jam quod nemo potest nisi nos tribuisse roganti,
 158 accipe quod praestas omnibus ipsa. Vale."

MARIA VIRGO DEO PATRI.

H1_02 v.1 Quam sine te non est tellus habitura salutem,
 2 ut partam per me possit habere, veni
 3 littera quod sparsis non convenit ista lituris
 4 hoc breve mortalis dextera fecit opus.
 5 Dextera quae calamum vix nunc tenet aegra labantem
 6 hei miseram quanti ponderis urget onus.
 7 Ausa humilis magno rescribere virgo Tonanti
 8 quam ferat, aggredior, mens mea, majus opus.
 9 Quamvis nota satis tua sit clementia nobis
 10 Majestas cui non ista stupenda tua est ?
 11 Nunc tamen unanimi Princeps ter maxime regni,
 12 da veniam si plus quam decet, audet amans.
 13 Et facis, et non est te uno mansuetior alter,
 14 audaces venia cogimur ista tua.
 15 Tu facis ut precibus suffultus navita justis,
 16 audeat immenso credere vela mari.
 17 Martius ipse tuo confisus numine miles,
 18 Non timet armatis obvius ire globis.
 19 Denique cuncta tua pietate pericula temnit,
 20 quisquis gentiles non putat esse Deos.
 21 Jure igitur magni servit tibi fabrica caeli,
 22 quicquid et haec extra quicquid et intus habet.
 23 Jure capax regnum tibi terminat igneus orbis,
 24 si posset regni terminus esse tui.
 25 Jure tuum nomen mundus reverenter adorat,
 26 Te quando includit mitius ille nihil.
 27 Ergo metus omnes posui, sic ipse jubebas,
 28 fas homini non est spernere jussa Dei.
 29 Sic etiam juvenum pulcherrimus ille monebat,
 30 Qui mihi non falso pectore dixit, ave.
 31 Jam super Oceanum madido Sol crine pependit,
 32 flammiferae noctis nuntius ortus erat.
 33 Sola fui thalamumque sera custode coegi,
 34 in manibus Solimi carmina vatis erant.
 35 Concipiet natum virgo paritura, legebam
 36 Docta prius tanti mystica scripta viri.
 37 Nascere magna parens, felix age fulgeat ortus
 38 afflictis dixi, gentibus affer opem.
 39 O mihi si liceat quacumque in stirpe futura es,
 40 aptarem famulas ad tua jussa manus.
 41 Quae te digna manet genitrix, o filia major
 42 Nulla potest laudes lingua referre tuas.
 43 O et feminei, o et sine labe pudoris
 44 Gloria, spes in te nostra salusque manent.
 45 Tu quoque mundi opifex imple praesagia vatium,
 46 pondere te felix fiat onusta parens.
 47 Fama Jovem falsum tot habet latuisse figuris,
 48 et tot ficticios monstra fuisse Deos.
 49 Ante Deos ostende Deum, de virgine nasci,
 50 da populis solum te potuisse fidem.
 51 Sic ego secreto mentis meditata recessu
 52 conticui, coram palmifer ales erat.
 53 Qualis purpureum referens aurora colorem,
 54 qualis ab Oceana Lucifer exit aqua,
 55 talis erat niveo juvenis vestitus amictu,

56 mortalem credi non potuisse liquet.
 57 Aurea caesaries humeros complexa comantes
 58 fulsit, et in dextra pacis oliva fuit.
 59 Qui simul intravit tenebrasque removit obortas,
 60 curvato missum poplite dixit ave.
 61 Obstupui, vocem timor abstulit, unde quod ales
 62 mirabar, clausas transiit iste fores.
 63 Ne timeas Maria ille refert, nam spiritus in te,
 64 et tecum virtus omnipotentis erit.
 65 Docta voluntatemque tuam, meque ipsa resumens,
 66 pareo mandatis orbifer alme tuis.
 67 Labere perque alti tua regna voluminis orbes,
 68 mitibus haec oculis inferiora vide.
 69 En jacet, et lacrimis mersus tibi supplicat orbis,
 70 sollicitas audi gloria nostra preces.
 71 Dum loquor, ecce levi, velut auctior, ebulit alvus,
 72 pondere, nec laesi damna pudoris habet.
 73 Ergo ego, quam toto cupiebam corde futuram
 74 quam colui tantis laudibus, ipsa fui.
 75 Ipsa mihi placui, votis ignosce peractis,
 76 excidit in laudes inscia lingua suas.
 77 Ergo ego digna fui mundo promissa jacenti
 78 solvere, et in terras ducere virgo Deum.
 79 Digna fui, quis enim poterit te iudice falli ?
 80 Digna fui, quia te iudice digna fui.
 81 Te mea virginitas, tua me clementia movit,
 82 Non agitur forma Praesule noster amor.
 83 Pulchra tibi mentis facie pulcherrime rerum,
 84 quod placui, sed non qualibet arte, juvat.
 85 Est aliquid placuisse Deo, super omnia matrem
 86 esse Dei, hoc meriti non leve pondus habet.
 87 Scribis ut a primis mecum Deus egeris annis,
 88 o pietas terris non habitura locum.
 89 Ipsa quoque ardentem seu te venerabar ad aras,
 90 seu legerem clausa carmina sancta domo.
 91 Seu tibi, non oculis hominum gestamina sumpsit,
 92 et nondum sacris apta ministra fui,
 93 Tu mihi tu praesens amor et meditatio dulcis,
 94 una tibi semper cura placere fuit.
 95 Ah quoties, quaerente aliqua quid sola fuissem,
 96 fingebam fluxo cingula lapsa sinu.
 97 Caelestes adii te contemplata recessus,
 98 Tu mihi tuta quies, tu mihi somnus eras.
 99 Jusserat Anna parens, genitor Joachime monebas,
 100 legitimo summum claudere fine decus.
 101 Scilicet, esse viro fecundam prole caduca,
 102 quam non mortali semine majus erat.
 103 Quam bene constantem juvisti in virgine mentem,
 104 quod non sum cupido tradita nupta viro.
 105 Ille quidem caste, cui sum data nupta, sororem
 106 maluit, et prior est virginitate mihi.
 107 Ad tua confugi supplex altaria, crevi
 108 virgineos inter parva ministra choros.
 109 Nunc tribus incipio quartum superaddere lustrum,
 110 et mea primaevae flore juvena viret.
 111 Eligor Anna tibi magnum paritura nepotem,
 112 o quanti generi flos erit iste tuo.
 113 Sed tibi quid refero quae me prior omnia nosti,

114 omne quod est usquam scitque videtque Deus.
 115 Cuncta licet videas, semper licet omnia noris,
 116 saepe tamen dici te tua facta juvat.
 117 Nam quid odoratas votis placaris ad aras ?
 118 Et facili justas percipis aure preces ?
 119 Clause sub hac lutea nostrae testudine carnis,
 120 littera praesenti traditur ista tibi.
 121 Non precor ut valeas per quem valet omne quod usquam est,
 122 illud idem verum possit ut esse fave.

MARIA MAGDALENA IESU CHRISTO.

H1_03 v.1 Mittere quam nequeo largitus es ipse salutem,
 2 Nomen ut a victa morte redemptor habes.
 3 Regna jacent certe mortis, te vita perempto,
 4 vix aliquis tanti qui peteretur erat.
 5 Qualis apud manes fueris, quem viceris hostem,
 6 audet apud superos garrula fama loqui.
 7 Vicisti, mors victa jacet, victorque redisti,
 8 plurimaque est reditus turba secuta tuos.
 9 Jamque aliquis longa tecum de morte reversus,
 10 Talia barbatos praedicat ante patres.
 11 Est locus aeterna qua rupta voragine tellus
 12 Panditur, et foedo sulfure fumus olet.
 13 Accipit hic sontes animas locus, inque perennes
 14 exercet poenas perpetuasque cruces.
 15 Vestibulum ante patet longo incomplebile tractu,
 16 Non est in stygia crassior umbra domo.
 17 Illo nos serie seculorum longa vetustas
 18 clausit, et Adami noxa luenda patris.
 19 Post duo saecula ierant decies quinque orbis ab ortu,
 20 Victaque mortali bis tria lustra Deo.
 21 Venit ad aeternae noctis loca luminis auctor,
 22 nubila divinum dispulit atra jubar.
 23 Tum nova degeneres lux aedita terruit umbras,
 24 victrices metuit plurima turba manus.
 25 Nec mora disjectis patuerunt atria valvis,
 26 unde vetus Dominum turba secuta sumus.
 27 Pars habet aeterno viridantes germine colles,
 28 corpora quos secum surgere jussit, habent.
 29 Praedicat haec aliquis, sentit contraria vulgus :
 30 sunt tamen et Solymae credula turba nurus.
 31 Illae etiam durae cum jam loca mortis adires,
 32 flebant, impositam pondus habere crucem.
 33 Jam subit illius tristissima lucis imago,
 34 qua Judaea tuo est sanguine facta nocens.
 35 Hei mihi, qualis eras ? Quantum crudele luisti
 36 supplicium, quod te non meruisse liquet ?
 37 Qualis erat quae te propere maestissima mater,
 38 Est vinctum in mediis hostibus ausa sequi ?
 39 Flebat et in terram quoties defecta cadebat,
 40 vix qui semianimem tolleret unus erat.
 41 Unus Joannes custos fidissimus illi
 42 semper erat, nullo defuit ille loco.
 43 Tunc ego, si qua mori maerendo femina posset,
 44 mortua funesto fracta dolore fui.

45 Namque quis ista videns dirae nova nomina mortis,
 46 plorantes rigido non secet ungue genas ?
 47 Territa neglexit leges natura suetas,
 48 Morte tua, quando est nostra redempta salus.
 49 Sol rubuit faciemque atro velavit amictu.
 50 Informis medio nox erat orta die.
 51 Omnia tunc stabili stupuerunt sidera caelo,
 52 vix etiam, misere quassa, resedit humus.
 53 Per sua demissi ceciderunt culmina montes,
 54 saxa procul querulo dissiluisse sono.
 55 Multaque quae trepidum sunt visa horrenda per orbem,
 56 Non tulit imparibus littera nostra modis.
 57 Condoluit natura tuae rex optime morti,
 58 et merito, quia tu conditor hujus eras.
 59 Sed mihi quo maesti scripturae gaudia versus,
 60 tristia cum fuerint victa referre iuvat ?
 61 Tristia vicisti victorem mundus adorat,
 62 et solvit meritas terra redempta vices.
 63 Non satis Eoos Aurora reduxerat ignes,
 64 vixque novum tremulo lumine mane fuit.
 65 Nobilibus sumpsit pretiosa alabastra venenis,
 66 exanimes artus ungere cura fuit.
 67 Forte duae mecum, cognominis utraque nostra est,
 68 gaudebant Comites illius esse viae.
 69 Venimus ad clausi nuper loca nota sepulcri,
 70 dejectum grandi pondere marmor erat.
 71 Ecce sed a dextris, dubitantibus omnia nobis,
 72 ignoti visa est forma stupenda viri.
 73 Candidior nivibus vestis, coma purior auro,
 74 plurimus in pulchro lumine fulgor erat.
 75 Constitimus, subitaque retro formidine lapsas,
 76 talibus impavidas vocibus esse iubet.
 77 Lugentes Mariae nihil hic timeatis, Iesum
 78 quaeritis, est isto visus abire loco.
 79 Rura prior Galilaea petet, sic ante monebat.
 80 Dicite ut haec Petrus discipulique sciant.
 81 Haec ita laetifico de te sermone locutum
 82 nescio, sed stupidas deseruisse puto.
 83 Ipsa quidem nimio confusa timore resedi,
 84 praebuerant maestum frigida saxa thorum.
 85 Namque ut erant longo nova gaudia mista dolori,
 86 Laetitia hinc lacrimas aedidit, inde dolor.
 87 Certe ibi dum comites fugientes assequor, aut te
 88 vidimus, aut oculos lusit imago tui.
 89 Vidimus at certe, nec enim tetigisse, nec ante
 90 Somnus erat, sacros procubuisse pedes.
 91 Gratulor applaudoque tuae super omnia palmae,
 92 At dolor a vultu peior abesse tuo est.
 93 Dum licuit dulci obsequio te, Christe, colebam,
 94 unaque te requies posse videre fuit.
 95 Testis Martha soror quam te constanter amarim,
 96 Quo se desertam tempore questa tibi.
 97 Dicebas memini, nil te res ista moretur,
 98 Electa felix est tua parte soror.
 99 Jesu noster amor, jam non moriture redemptor,
 100 Jam non mortali carne vidende veni.
 101 Languo ut aestivis exustum solibus arvom,
 102 areo ut in sicco quae sitit herba solo.

103 Nunc mihi quot soles abeunt, tot metior annos,
 104 mensis habet spatium quaelibet hora mihi.
 105 Nunc desiderio, justisque doloribus angi
 106 nunc didici vero quid sit amore capi.
 107 Ibimus, est animus, Galilaeaque rura petemus,
 108 sed tamen hic nobis ante videndus eras.
 109 Arva patent oculis vigilantibus obvia, caelum
 110 metior, at nulla spes mea parte venis.
 111 Jamque abiere decem, tantum non saecula, luces,
 112 quas, quia sunt, potui dicere paene cruces.
 113 Nec tamen appares, et nos te, Christe, volentes
 114 quaerere, nemo viam quae sit eunda docet.
 115 Reddita testatur mundus tua signa renascens,
 116 gaudet et in reditu quicquid ubique tuo.
 117 Nunc iterum spondent Solymi sua balsama colles,
 118 Hierichus vernas exhibet alta rosas.
 119 Verna Cupressiferae praetexunt pallia silvae.
 120 Ornat Idumaeum florida palma nemus.
 121 Nubifer aestivos aperit Carmelus honores.
 122 Botrifera Engaddi vitis opacat humum.
 123 Cuncta tibi redeunt, tecum simul omnia surgunt,
 124 nos sine laetitia, nos sine honore sumus.
 125 Auctor ubi es, rerumque potens reparator Iesu ?
 126 In melius versi temporis auctor ubi es ?
 127 Vicisti, mors victa jacet, victamque fatetur,
 128 Jamque triumphatas porrigit illa manus.
 129 Victor ubi es ? Nec enim miserae te invenimus usquam,
 130 quaesitus longo tempore victor ubi es ?
 131 Dum queror ac mecum doleant, nisi falsa notavi,
 132 flexerunt tremulum lilia maesta caput.
 133 Frigida pendent commoverat aura capillos,
 134 respicio, nullus post mea terga fuit.
 135 Vidi aliquid, species amor obtulit, inter eundum
 136 constiteram, et mixto laeta timore fui.
 137 Aspicio loca nobiscum tibi culta frequenter,
 138 Heu loca non oculis dulcia ut ante meis.
 139 Grata tamen quia te referunt, quia grata fuerunt,
 140 sic etiam ex ista parte dolere juvat.
 141 Nunc tua quae possum pro te vestigia tango,
 142 et lacrimas propior conbibit herba meas.
 143 Aspicias haec oculis, sed non quibus ante solebas,
 144 nec lacrimae, nec te nostra querela movet.
 145 An quia mortalis jam desinis esse, recedis ?
 146 Et mihi non ultra conspiciendus abes ?
 147 An quia peccatrix non sum te digna videre ?
 148 Heu cur illa timet crimina noster amor ?
 149 Digna licet non sim, potui tamen esse, videri,
 150 da veniam, pietas nunc ubi tanta tua est ?
 151 Quid meruere alii, si te mihi Christe negabis ?
 152 Quid reliquus maesta cum genitrice chorus ?
 153 Restat ut accedat nostro tua gratia voto,
 154 Cura alias maestam nulla levare potest.
 155 Hoc te Martha soror, rogat hoc qui lumine cassus,
 156 Lumina quae videat te duce frater habet.
 157 Te genitrix, te noster amor, duodenaque turba,
 158 Te bonus hoc anima supplice quisque rogat.

MARIA JOANNI.

H1_04 v.1 Haec dilecte Deo juvenis tibi venit ab illa,
 2 quae tibi quo licuit tempore mater erat.
 3 Signa quid aspiciens gladium miraris utrumque ?
 4 Hic mihi causa fuit vulneris, ille tibi.
 5 Vidimus his laesi morientis vulnera Christi,
 6 Heu quantum miseros est meminisse dies.
 7 Nunc tamen hoc pejus doleo, quo longius has te
 8 meque simul terras deseruisse queror.
 9 Pulsus in Aegeam Romano a Caesare Pathmon,
 10 incolere ignotam diceris exsul humum.
 11 Quae simul ut nostras fama improba contigit aures,
 12 sensibus excideram mortua paene meis.
 13 Idque ego jam dudum vel tale quid aegra timebam,
 14 Docta satis casus posse timere graves.
 15 Fortiter hic animus longoque induruit usu,
 16 pectoris haec non sunt vulnera prima mei.
 17 Ante per immensum pelagus jactata malorum,
 18 ante in curarum gurgite mersa fui.
 19 Tu quoque nostrarum comes et pars maxima rerum
 20 testis es afflictam sic potuisse queri.
 21 Cum qua quicquid erat durum commune tulisti,
 22 adnumerans damnis vulnera nostra tuis.
 23 Qui mihi quod carae frater solet esse sorori,
 24 Cui fueram fratri quod solet esse soror.
 25 Denique quem primum dilexi semper ab illo,
 26 illo, qui nobis omnia solus erat.
 27 Qui moriens matrem tibi me mandavit, ut esses
 28 Tu quoque desertae quod fuit ille mihi.
 29 Defeci, terramque genu labente petebam,
 30 a terra manibus sum relevata tuis.
 31 Hoc pius aspiciens aliquis miseratus utrumque est,
 32 dixerat, ah quoties haec misera, ille miser.
 33 Flebant et Solymae tamquam sua viscera matres,
 34 addidit immites impia turba minas.
 35 Plura vetat meminisse dolor, quis cetera fando
 36 pallentes calido non riget imbre genas ?
 37 Omnibus intereras, mecum omnia dura tulisti,
 38 o nec adhuc aliquo fine quietus agens.
 39 Cur igitur tot passe animo subeunte labores,
 40 Non mihi sollicito pectore flendus eras ?
 41 Cur non exciderim tam saeva exterrita fama ?
 42 Cur tua non nostrum vulnera pectus agant ?
 43 Tunc ego vel potui crudelior esse videri,
 44 quam quibus est propria mamma resecta manu.
 45 Nata feris pavisse feras, tigresque luposque,
 46 Non potui casto pascere lacte Deum.
 47 Duritia potui superare adamanta videri.
 48 Si non quae pateris non meruisse querar.
 49 Quae quamvis placuisse queant tibi forte per ipsum,
 50 Qui mala postremis deteriora tulit.
 51 Te tamen indigne plecti dolet. O mihi saltem
 52 Quis dabit ut pro te tristia fata feram ?
 53 Cui, quod non penitus cecidi, quod paene revixi
 54 mortua, cui quod sum debeo, quodque fui.
 55 Ut taceam qua me totiens pietate levaris,

56 quanta animi fuerim sarcina saepe tui.
57 Omnia solus eras soli mihi namque relictæ,
58 postquam est in patriam redditus ille suam.
59 Ille decus nostrum, nostræ dator ille salutis.
60 Heu mihi cur nomen dicere triste fuit.
61 Nescio quæ dulcedo meos renovare dolores
62 Hic solet, in dicto nomine vulnus erat.
63 Maternum exanimant dilecta vocabula pectus,
64 et tamen est quare commeminisse juvet.
65 Sic quoque vicina jam lumina morte gravatus
66 Matris in indicto nomine mitis erat.
67 Tam miseræ, fractæque malis, passæque dolores,
68 dixisses quiddam blandius interii.
69 Ecquæ vel potuit gravius vel debuit unquam
70 quod peperit nostra mater amare fide ?
71 Ecquæ vel majus peperit ? Cui deinde per omnem
72 Cum partu vitam vivere pejus erat ?
73 Tempore ab hoc nostra quo terras venit ab alvo
74 humano soboles corpore tecta Dei.
75 Quot tulerim duros non est numerare labores,
76 tempore ab hoc paucis laeta diebus eram.
77 Laeta fui tunc cum mihi missus ab æthere, dixit
78 pectore non falso nuntius ales, ave.
79 Tunc quoque, cum tantam peperit sine crimine prolem,
80 Cumque darent illi tres tria dona Magi.
81 Laeta triumphata redeuntem morte videbam,
82 calcantemque alacri nubila regna pede.
83 Spiritus a patria laetam quoque sede relabens
84 vidit, eras nostri pars quota et ipse chori.
85 Cetera dura tulit sortis tenor omnia iniquæ.
86 Quod juvet est inter milia multa nihil.
87 Quæ si cuncta velim numero comprehendere certo,
88 frondiferas Libani dicere coner opes.
89 Quot cedros Carmelus alat, quot gignat odoras
90 Hierichus vernis solibus usta rosas.
91 Pauca tamen meminisse juvat, quibus ipse notatis
92 Tu quoque pacifico tristia corde feras.
93 Frigora pauperiemque pati res dura videtur,
94 At nihil est, horum milia multa tuli.
95 Quem mihi tunc animum credis dilecte fuisse,
96 Carmina vaticinans dum canit ista senex ?
97 Maeror, et anxietas, dolor, inclementia fati,
98 Mater in hoc puero sunt obeunda tibi.
99 Non secus obstupui, quam si nil tale timenti
100 hausissent medium tela cruenta latus.
101 Nondum convalui, nondum dolor ille resedit,
102 Ecce nova Herodes monstra tyrannus agit.
103 Audiit Hebraea venturum ab origine Regem,
104 Qui se de tanto pelleret imperio.
105 Protinus aedicto crudeli occidere mandat,
106 quisquis adhuc linguae masculus esset inops.
107 Hic dolor, hic miseræ plangunt sua viscera matres,
108 saepius e medio viscera rapta sinu.
109 Saevit in innocuo crudelis sanguine miles,
110 flebilis nihil hac caede fuisse potest.
111 Ipsa Deo monita Aegyptum fugitiva petebam,
112 duxit Josepho nos comitante puer.
113 Hic aliquot fatis, sed tristibus egimus annos,

114 praebuit angustum lana colusque cibum.
115 Vix peregre patriam Galilaeaque rura reversi,
116 instabat Solyma festus in urbe dies.
117 Venimus ad typici sacrum sollemniter agni,
118 Dum timeo natum perdere, natus abest.
119 Illum ego quaesitum tris soles anxia, tandem
120 invenio sacros disserere ante patres.
121 Vix isto annorum duo tempore lustra peregit,
122 et potuit tantos ille docere viros.
123 Crevit, et inde puer meliores induit annos,
124 me vacuam vidit nulla dolore dies.
125 Jamque vir egressus sexti confinia lustrum
126 in sibi praescripta coeperat ire via.
127 Per nova mirantes tenuit miracula turbas
128 et novus in tota gente propheta fuit.
129 Testis es ante alios (nec enim te carior illi
130 alter erat) quo se gesserit ille modo.
131 Quot miseros, quot monstra hominum, quot lumine cassos,
132 reddiderit per tot milia nemo rogat.
133 Scis quibus interea curis gemebunda tenebar,
134 certa dolorificum non procul esse diem.
135 Saepe gemens dixi : cui me moriture relinquis ?
136 Quis dabit heu tecum me quoque posse mori ?
137 Ille quibus potuit verbis lenire dolorem,
138 saepe tibi dixit vestra sit ista vide.
139 Te quoque saepe gravis flenti discrimina fati
140 Non puduit madidas tergere veste genas.
141 Et mea saepe tuae lacrimae super ora cadebant,
142 exciderem manibus cum resupina tuis.
143 Et jam tempus erat fatalem solvere morsum
144 Tristior affulsit quaelibet hora mihi.
145 Ascendit Solymam palma sublimis in urbem,
146 exceptus veri regis honore fuit,
147 inde sacra vulgus deturbat ab aede profanum,
148 a turba saxis paene petitus erat.
149 Sex modo restabant quos vellet vivere soles,
150 Heu nimis in curas tempora longa meas.
151 Hic mihi nec luces tacitae nec tempora noctis
152 in lacrimas spatii sufficientis erant,
153 anxia, sive aberat, quaerebam semper ubi esset,
154 anxia, sive aderat, ne male abiret eram.
155 Omnia tu melius, mecum tu semper agebas
156 omnia tu memori mente tenere potes.
157 Quis ferat illius noctis meminisse cruentae,
158 quae cenam Paschae prima secuta fuit ?
159 Vosne Cedroneae captum potuistis olivae
160 immeritum sicca fronde videre Deum ?
161 Ipse rapax amnis lapsas a corpore guttas
162 sensit, et attonita mollior ibat aqua.
163 Territa diffugit sub opacam Cynthia nubem
164 paene etiam caelo nox abitura fuit.
165 Mene quieturos posuisse cubilibus artus ?
166 Mene relaxata mente fuisse putas ?
167 Quolibet usque illum tam longa nocte trahebant.
168 Hac ego sum tacitis passibus ausa sequi.
169 Nunc ego per clausae rimas spectare fenestras
170 Dum cupio, indigne saepe repulsa fui.
171 Vidi ego vel probris lusum, vel verberare caesum

172 nullus in attonito pectore sanguis erat.
 173 A quoties, ridente aliquo mea vulnera, flevi
 174 a quoties supplex qualibus usque fui.
 175 Hic quoque qua poteras miseram pietate, juvabas
 176 egressus dirae limina nota domus.
 177 Quis meminisse queat dirae scelera omnia noctis ?
 178 Non satis est tantis ulla querela malis.
 179 Quot gelidae aestivis errant in montibus umbrae,
 180 quot matutino gramina rore madent,
 181 tot mea presserunt lacrimosi corda dolores,
 182 Illa quae cladem nox mihi prima tulit.
 183 Nox Acheronteis intempestivior umbris
 184 Nox tamen in curas non satis ipsa meas.
 185 Tristior in nostras lacrimas successit Eous,
 186 et pejora novum vulnera mane tulit.
 187 Vix caput extulerat trepido sol territus orbi,
 188 maestus in attonita perstrepat aure sonus.
 189 Qui nova credentem populum per signa fefellit,
 190 Qui se praesentem dixit adesse Deum.
 191 Qui sua praetulerit sanctae ludibria legi,
 192 quem pro lege jubet Praesul uterque mori,
 193 rite coronatum Praeses Romanus Iesum,
 194 damnat ad extremam justior ipse crucem.
 195 Parcitis immeritae pubes Judaea parenti,
 196 sic ego sic vestra voce levanda fui.
 197 Hoc erat officium matri praestare relictæ
 198 o etiam veteri durius angue genus.
 199 Et jam tota cohors portis erumpit apertis
 200 impositam collo bajulat ille crucem.
 201 Qua licet usque sequor te solo tuta ministro
 202 in latebris comitum cetera turba fuit.
 203 Attamen et mecum quaedam venere sorores
 204 sed gravis has longe jussit abesse timor.
 205 Non satis ipse oneri quoties cecidisset, amare
 206 vapulat, infecta surgere jussus humo.
 207 Tacta rubebat enim, vestigiaque ipsa tenebat
 208 sanguine quae fuso fecit utrumque genu.
 209 Quid facerem ? Totiens jacui jam frigida, flevi,
 210 nunc quoque, si quaeras : quid facit ista, fleo.
 211 Quasque legis toto multas in carmine mendas
 212 De lacrimis factas noveris esse meis.
 213 Ventum erat interea mortis loca ad alta, paratae
 214 Ecce sudas, clavos, arma, flagella, crucem.
 215 Tunc ego, vel nullos potui sensisse dolores,
 216 vel potui humani cordis habere nihil.
 217 Sanguine jam roseo ligno sudante pependit,
 218 transiit effossum militis hasta latus.
 219 Jam mihi pendentes licuit tetigisse lacertos
 220 Oscula jam nigro frigida ab ore tuli.
 221 Dicite prolifica felicia nomina matres
 222 dicite de vobis talia si qua tulit.
 223 Nulla tulit, nulla est aevo latura sequenti,
 224 curarum hoc pressit sarcina tota caput.
 225 Tot mala, tot curas, tot iniquos passa dolores
 226 conqueror extremum longius ire diem.
 227 Quoque magis doleam sine te, carissime, cogor
 228 vivere, qui miserae dulce levamen eras.
 229 Non ego te aspiciam vestri mandata magistri

230 historica populis insinuare fide.
231 Non mihi sollicitae numeranti taedia vitae
232 artifici falles tempora longa mora.
233 Nunc quoque quae tecum quondam monumenta solebam
234 visere, stant soli sola videnda mihi.
235 Illa ego, divitibus seu lucidus exit ab Indis
236 seu niger Hesperiam lucifer intrat aquam.
237 Flexa genu praesens fletu contemplor amaro
238 Ille locus nostri signa doloris habet.
239 Illius apparent vestigia maesta perempti
240 illius innocui caede cruenta viri.
241 Hic stetit, hic cecidit, saxo defecit in illo,
242 hoc ego strata loco cum pateretur eram.
243 Haec illum crux alta crucem tulit inter utramque
244 mortuus hic munda sindone tectus erat.
245 Hic me semianimem carissimus ille refecit
246 Ille per Aegeas nunc male pulsus aquas.
247 Talia dum meditor mecum tua semper imago est.
248 Tu procul hinc absis milia multa licet.
249 Ipsa quidem Solymis numquam exeo corpore ab oris
250 mens tamen et caelos et tua regna subit
251 mens spatio peregrina brevi quocumque volebat
252 tollitur, et nullo limite clausa volat.
253 Haec igitur totiens ad te spatiatur et errat,
254 carceris haec extra testea claustra sui.
255 Ipsa domo vidua tacito secreta recessu,
256 in meritas solvo dum licet ora preces.
257 Interdum repeto veterum praesagia vatum,
258 in curas olim carmina scripta meas.
259 Rara mihi est etiam reliqui congressio vulgi,
260 quam quarum satis est vita probata mihi.
261 Hae quoque sunt nostrae quod possunt esse senectae,
262 Flos prior aetatis decidit ille meae.
263 Aufferor, inque dies venientibus opprimor annis,
264 plena quater vitae sunt tria lustra meae.
265 Nec mihi scire licet quid agas carissime rerum,
266 credentes etiam fallere fama solet.
267 Nullaque quae possit de te tot euntibus annis
268 littera, vel minimum dicere, visa mihi est.
269 Nec tamen hoc miror, tot enim maria inter utrumque
270 forsitan ingratae causa fuere morae.
271 At tibi qui nostro saepe est in amore minister,
272 omnia mandatis fert mihi plena tuis.
273 Hinc licet agnoscam quid agas, tamen omnia vellem
274 plenius, et digitis scripta videre tuis.
275 Interea loquitur pro te tua littera nobis
276 Orbi, non soli littera scripta mihi.
277 Littera quae vestri testatur gesta magistri,
278 usque sub extremum non peritura diem.
279 Quo sane mortale nihil meditare libello,
280 Sidera sublimi vertice summa feris.
281 Sicut ubi radios visu penetravit acuto,
282 prima avium caelo proxima saepe volat.
283 Abdita vidisti divinae scrinia mentis,
284 mystica quo nobis cena peracta loco est.
285 Illa utinam nobis non ultima cena fuisset,
286 aut esset propera morte peracta mihi.
287 Sed tamen hoc cessit melius populoque redempto,

288 et quibus est recto tramite cura sequi.
 289 Differri haud potuit quod opus restabat agendum,
 290 qua bona sit causa nostra querela caret.
 291 Tu si quando potes maestam solabere matrem,
 292 Cur vacat officio dextera fida suo ?
 293 Damna fer interea sortis patienter iniquae,
 294 Jam patria felix divite civis eris.
 295 Nec dubita post paulo Ephesum tua templa redibis,
 296 donec ab his curis vivus ad astra voles.
 297 Ipsa feram placide superantis taedia vitae
 298 quam precor ut paucis, qui dedit ille ferat.

LYDIA PAULO.

H1_05 v.1 Dum tibi sera venit metitur epistola, quantum
 2 Thybridis a sacro fonte Caicus abest.
 3 Nam tenet evictis nunc pulchra Tyatira curis,
 4 nunc ego nec felix Aematis esse velim.
 5 Tu dubium emensus Tyrrhena per aequora cursum,
 6 dura sub infami jura Nerone manes.
 7 Quid tibi cum caeca doctor clarissime Roma ?
 8 Assuescet monitis numquid et illa tuis ?
 9 Quam metuo magnum ne quando fatebere Christum,
 10 ipsa tibi poenas exitiumque paret.
 11 Hoc cecidere modo tot milia temporis hujus,
 12 stultus ut imperium cum Jove Caesar habet.
 13 Quam fuerat melius gentes docuisse minores,
 14 in tua plus Asiae nomina laudis erant.
 15 Roma potens toti caput est et praesidet orbi,
 16 et nimium propria laude superba tumet.
 17 Tam firmam heu quantus labor est impellere molem,
 18 pondus praecipue cujus et orbis idem ?
 19 Ipsa refert patria partos virtute triumphos,
 20 et se praesentes credit habere Deos.
 21 Ipse etiam superum socius pater urbis habetur,
 22 Cui locat ardentis quaelibet ara focos.
 23 Hanc tu posse putas tua per documenta moveri,
 24 quae sibi tot divos quot colit ipsa facit ?
 25 Et licet exsuperes divinae lumine mentis,
 26 et polyhistorico pectore cuncta feras.
 27 Blandaue mellifluae cedat tibi gratia linguae,
 28 in labris sedeat Suada canora tuis.
 29 Saxa prius scopulosque trahes silvasque sequaces,
 30 antraque linquentes per nemus omne feras.
 31 Quam tu semideum possis mollire Neronem,
 32 si modo se totum non putat esse Deum.
 33 Sed pariunt magnam tam facta insignia laudem,
 34 tentatique satis fama laboris erit.
 35 Quis neget hoc magno satis est voluisse Tonanti,
 36 Res animo non re ponderat ille animos.
 37 Quis neget haec ipsis Divis quoque magna videri,
 38 terrarum princeps sollicitare caput.
 39 An potius fugiens operosae taedia vitae,
 40 Vis tandem placida posse quiete frui.
 41 Namque diu vasti jactatam errore profundi,
 42 in portum par est applicuisse ratem.

43 Arma per et varii raptum discrimina belli,
44 militis emeriti nomen habere decet.
45 Hoc tibi tu poteris Romam sperare daturam,
46 nil hac desperes condicione licet.
47 Flumina sic retro spera reditura, lacusque
48 ignibus arsueros, saxa futura feras.
49 Mortua crede loco pietas est omnis in illo,
50 Caesar ubi malus est, pax ibi nulla bonis.
51 Pars licet observet populi te multa tuisque
52 audiat, et verbis credat inesse fidem.
53 Pressa tamen trucibusque minis iraque Tyranni
54 dissimulat tacita quem colit arte Deum.
55 Ergo fuit melius Gentes docuisse minores,
56 Cur tua nunc virtus languida facta jacet ?
57 Sed tua nec languet virtus nec gloria marcet,
58 da veniam si quid noster ineptit amor.
59 Ut tua me miseram nimiis absentia curis
60 conficit, incauta sic quoque mente loquor.
61 Candida floret adhuc nostras tua fama per oras,
62 Gloria nec meriti est illa sepulta tui.
63 Postquam clara nova vidit te luce Damascus
64 percussum, leges deseruisse tuas.
65 Moenia adhuc illa rima stant pervia, per quam
66 diceris occulta cautus abisse fuga.
67 Illa etiam quae tu nobis aliquando solebas
68 saepius in patria facta referre tua.
69 Illa vigent etiam nullis moritura diebus,
70 o sine non lacrimis enumeranda meis.
71 Immeritum poenis quibus affecere Philippi,
72 flumina paene audent mutaque saxa loqui.
73 Hanc post fida tamen tua littera venit ad urbem,
74 quam dederas veram testificata fidem.
75 Saxa Lycaoniae scelus indignantia Lystrae
76 paene etiam mortis stant monumenta tuae.
77 Dicere Cecropios quo fregeris ore magistros,
78 quam qui nil didicit dicere nemo nequit.
79 Qua virtute Ephesique minas Solymaeque tumultus
80 viceris et Macedum Cappadocumque dolos.
81 Omnibus his tua scripta tamen transmissa leguntur,
82 o bona pro meritis dona relata malis.
83 Praeterea Galathas quis nescit adisse feroces,
84 Teque tuas Christo fassa Corinthus opes ?
85 O electe Dei prece, decus orbis, ab ipsis
86 quem tenebris luci est restituisse tuum.
87 O superum facunde comes fideique magister,
88 fulmina sunt linguae singula verba tuae.
89 Fama est Ismarii gelidas ad Strymonis undas,
90 omnia Threiciam monstra secuta chelyn.
91 Moverit Amphion lapides Delphinas Arion
92 Ogmus impositis traxerit ora jugis.
93 Tu potes eloquio caelos aperire potenti,
94 Tu potes in terras ducere Paule Deum.
95 Cuncta tibi cedunt divinae munera virgae,
96 Tam fluit et linguae est aurea vena tuae.
97 Jamque renascentem membris vitalibus orbem,
98 Totum divini munere lactis alis.
99 Qualiter infantem tenui nutricula succo
100 imbuit, et firmis passibus ire docet.

101 An nihil haec credes ? An non ea gloria plena est ?
102 Roma precor titulis defuit una tuis ?
103 Patria restabant Persaeae moenia Tharsi,
104 Heu quantum a vestro Thybride Cydnus abest.
105 Quam fuit hoc nimium gravidae praestare senectae,
106 Romanis Cilicas praeposuisse tuos.
107 At fuerat sancta pro relligione cadendum,
108 hanc prius hic fas te composuisse fuit.
109 Grata senescentis quaerebas otia vitae,
110 in patria poteras consenuisse tua.
111 Dulcibus intentus studiis crescentis Iesu,
112 Non quae prisca tui Gamalielis habes.
113 Aut certe ad gelidum melius vixisse Caicum,
114 Hic tua praecipuum gloria nomen habet.
115 Quod votis nisi saeva meis fortuna negasset,
116 improba pars vitae non foret ulla meae.
117 Cresceret invisas nullum mihi tempus in horas,
118 deiceret nullus pectora maesta dolor.
119 Nec me saepe cavo gemitus pulmone trahentem,
120 tristitiae causam quaereret ulla meae.
121 Saepe meos blanda solatur voce dolores,
122 juncta comes lateri fida Perilla meo.
123 Ah quoties illa referente quid egeris usquam,
124 plurima luminibus liquitur unda meis.
125 Nunc quoque perfusum lacrimis premit humida pectus
126 fascia, concepto pondere facta gravis.
127 Praedita ut illa quidem facundae est munere linguae,
128 De te quot verbis tot mihi tela refert.
129 Tempora tum subeunt vitae male cauta prioris,
130 per quae quicquid erat vivere crimen erat.
131 Non ego nobilium sata Lydia stirpe parentum,
132 Nupta viro maestas tota sequebar opes.
133 Praecipue gemmas Tyrios et avara colores,
134 empta levi magno vendere docta fui.
135 Hos duce te quaestus, verissima damna, reliqui
136 nuda prius, lucro facta beata novo.
137 Cujuset obstantes duce te nova signa per hostes,
138 sumptaque pro Christo fortiter arma tuli.
139 Multa quidem vici nec vana pericula rerum,
140 quae poterant ipsis pondus habere viris.
141 Quae, quia nulla meis debetur gloria factis,
142 tot mala quod vici muneris omne tui est.
143 Tu potes extremi penetrare volumina caeli,
144 praesentemque alta mente videre Deum.
145 Ille tibi quaecumque voles largitur et addit
146 munera, ad exiguas non numeranda preces.
147 Illius exemplo miseros tibi cura jacentes,
148 tollere et ad superas est animare domos.
149 Nec pateris quo tu periisti paene, perire
150 vulnere, sed certa condicione juvas.
151 Nemo quidem melius languenti consulit umquam,
152 quam qui perniciem, quam levat, ipse tulit.
153 Hoc utinam videat qui se putat omnia Caesar
154 cernere, qui nec se nec sua facta videt.
155 Terribilisque sacra stupefactus imagine vultus
156 dicat, et hic tantus non putat esse Deos.
157 Quod non ille putat tantus quis credere possit,
158 Ille quod est verum forte putare potest.

159 Viderit hoc Caesar, quod non sperare licebit,
 160 in patriam reditus jam tibi certus erit.
 161 Sed prius, heu metuo, fluvios habitabit Oreas
 162 Multaque per montes Oceanitis erit :
 163 quam sua destituant crudelem monstra Neronem,
 164 nominis o ipso vox metuenda sono.
 165 Ergone te miseris sine fine carere necesse est ?
 166 Ergone non finem nostra querela feret ?
 167 Quin etiam nobis sperantibus optima, forsan
 168 adveniet mortis nuntia fama tuae.
 169 Heu mihi si nostras quicquam tale arguat aures,
 170 Cur ego praeterito fortis agone fui ?
 171 In talem superesse diem quid profuit, in quo
 172 hoc animi reliquum decidet omne mei ?
 173 Me timidam infaustae faciunt mala nomina Romae,
 174 visa precor celeres somnia ferte Noti.
 175 Nunc tu quicquid agis seu dura negotia tractas,
 176 Otia seu tuta dulcia mente legis.
 177 Respice lugentem solita pietate ministram,
 178 quam si vis aliqua parte valere. Vale.

ELISABETH JOANNI BAPTISTAE.

H1_06 v.1 Sic mihi Zachariae sera te prole gravatae,
 2 dextera pro lingua saepe locuta fuit.
 3 Non tamen est eadem ratio mihi muneris hujus,
 4 nec mea conspecto numine lingua stupet.
 5 Saepe manus nobis praesentibus illa locuta est,
 6 absenti loquitur dextra <...> nostra tibi. (vers lacuneux)
 7 Da mihi te praesensque tui sit copia nobis,
 8 quam cuperem, quae nunc scribimus, ista loqui.
 9 Accola fluctivagi rapidas ad Jordanis undas,
 10 inter inhumanas diceris esse feras.
 11 Hirsuta pavidi vestitus pelle Cameli,
 12 silvestres mistis mellibus esse cibos.
 13 Avia desertae postquam colis inter eremi,
 14 tecta nec ulla hominum nec loca culta subis.
 15 Gratulor, et quoniam tibi sic carissime cordi est,
 16 vivere non alia te regione velim.
 17 Nam mihi in hoc sterili prodisti natus ab alvo,
 18 venturum ut fieres nuntius ante Deum.
 19 Nunc quoque te fama est adeuntibus undique turbis,
 20 taliter ex omni vociferare loco.
 21 O qui praeteritae numeratis crimina vitae.
 22 O quae mens scelerum conscia vulnus habet,
 23 ponite multiplicis commissa piacula noxae,
 24 ponite quaeque nocent, sumite quaeque juvant.
 25 Paeniteat scelerum pudeat vixisse tot annis
 26 Non intellectae sub regione viae.
 27 Vos adaperata manet caelestis janua regni,
 28 Jam tempus veniae, ne dubitetis, adest.
 29 Talia multa ferunt mirantibus aedere turbis,
 30 et te praesentem significare Deum.
 31 Inde superfusus in Jordane tingere lymphis,
 32 fassorum sordes milia multa suas.
 33 Heu mihi quod nimium gravibus nunc opprimor annis,

34 et vicina meas mors cubat ante fores.
35 Esset adhuc constans et crudior ista senectus
36 officiumque agerent frigida membra suum.
37 Non ingrata domi subeuntibus otia curis,
38 Non tererem vana tempora longa mora.
39 Protinus his ad te fugerem, mea vita, relictis
40 rebus quas aliae saepe morantur anus.
41 Non me tristis hiems, non torrida solibus aestas,
42 Non rigidum scopulis me prohiberet iter.
43 Omnia despicerem vulgata pericula rerum,
44 Atque annis fierem fortior ipsa meis.
45 Ut te perpetuae monstrantem dona salutis,
46 conspicerem populi pars quota facta tui.
47 Sed vetat has partes et inutilis impedit aetas,
48 nec Deus hunc animum, quod cupit, esse sinit,
49 et nunc ille jacet per quem stetit ista senectus,
50 Qui fuit aetatis firma columna meae.
51 Sola domo vidua paucis obsaepta ministris,
52 devoveo tardos in mea fata dies.
53 Quamquam quod superest vitae, hoc mihi nomine gratum est
54 quod te grata Deo vita superstes habet.
55 Sive etenim sanctis te nuntia fama Prophetis
56 inserit, est quare vivere posse velim.
57 Sive docet falsi monstrare pericula mundi,
58 adicitur vitae, quod venit inde, meae.
59 Denique quaecumque est qua tu ratione probaris,
60 corporis est certe certa medela mei.
61 Idque ego non aliud causae mihi credo fuisse,
62 Cur mea sit fato tardior hora suo.
63 Hora quater denos bis jam numerata per annos,
64 migrandum propere nuntiat esse mihi.
65 Quam bene longaevae numero mala tempora vitae,
66 quod non sum vacuo tempore jussa mori.
67 Nam cum difficilis flerem dispendia lecti,
68 visa diu steriles inter habenda nurus.
69 Respexit miseram tandem Deus ipse senectam,
70 et desperato jussit honore frui.
71 Jam me vita senex melioribus exuit annis,
72 aevo debilior jam vir et ipse fuit.
73 Thura Sabaea Deo sanctas incendit ad aras
74 Zacharias, clausa solus in aede manens.
75 Adstitit aetherea delapsus ab arce minister
76 Angelus, et tales aedidit ore sonos.
77 Care Deo, confide, placent tua vota, tuisque
78 ante Deum precibus gratia parta tibi est.
79 Uxor praecipiti tua grandis Elisabet aevo,
80 Jam tibi concepto pondere mater erit.
81 Nomen Joanni statues insigne puello,
82 Hic sacer, hic fiet maximus ante Deum.
83 Adferet ille puer toti nova gaudia mundo,
84 Flamme sacra Deo pectora plenus erit.
85 Talibus esse fidem, quia nollet credere, dictis,
86 egressus templi limina mutus erat.
87 Donec ad octavi ventum confinia mensis,
88 aeris in lucem jam mihi natus eras.
89 Cumque propinquorum de nomine turba rogaret,
90 Nomen Joanni diximus esse tibi.
91 Omnes ignota turbati voce negabant,

92 in nostra hoc aliquem nomen habere tribu.
93 Ipse pater sumptis scripsit pro voce tabellis,
94 Nomen Joannes, quod ferat, hujus erit.
95 Atque ita cum longo tacuisset tempore, tandem
96 solvit in hos nuper guttura muta sonos.
97 Laudibus Israel Deus est et honore ferendus,
98 vincula qui plebis liberat arcta suae.
99 Cornua venturae qui protulit alta salutis,
100 Gentis Jessidae sub ditione sui.
101 Ipsius ut sancti repleti numine vates,
102 ante retro lapsos praemonuere dies.
103 Affore crudeli quo servaremur ab hoste
104 Tempus, et amissam quod repararet opem.
105 Ut nostros miseratus avos memor esset eorum,
106 quae testamento condidit ipse suo.
107 Ut rata verba forent jurandi praestita juris,
108 quod tibi juravit prole beate senex.
109 Ipsius ut posito faceremus jussa timore,
110 nec manus hostili nos premat ulla jugo.
111 Ipsius ut sancti justique colamus honorem,
112 donec in hoc vivi mortis agone sumus.
113 At te sancte puer sibi deligit ipse Prophetam,
114 venturi ut possis nuntius esse Dei.
115 Nec dubiae fiat per te via nota salutis,
116 omnibus, et populo culpa remissa cadat.
117 Ex alto quoniam venia miseratus egentes,
118 respexit vultu terrea regna pio.
119 Tristibus ut splendor novus illucesceret umbris,
120 quae misero clausos carcere mortis habent.
121 Nostra ut in aeternam tendant vestigia pacem,
122 semita quo nostros dirigat ista pedes.
123 Haec ita vatidico tacuit pater ore locutus.
124 Turba novum populi tota stupebat opus.
125 Hinc tibi quis melior studiis accreverit aetas.
126 Paene supervacuum dicere velle fuit.
127 Quis tamen ignoret quod adhuc impubibus annis,
128 Pectora jam sacro numine plenus eras.
129 Improba mentita est quemdam Jove fabula natum,
130 in cunis angues enecuisse duos.
131 Certe nulla meis insunt mendacia verbis,
132 in te plus animi quam puerilis erat.
133 Ac sacra tunc etiam celebrares sabbata, vix dum
134 passus es assueto munere lactis ali.
135 Nunc positas hausto tingebas fonte corollas,
136 et moto quaedam pollice signa dabas.
137 Saepe videbaris monstrare quid indice, tamquam
138 nescio quae, stupida mente futura videns.
139 Jam juvenis jamque utilibus maturior annis,
140 Jam poteris duri ferre laboris opus.
141 In loca transisti deserta silentis eremi,
142 Jamque ea non modico tempore regna colis.
143 Tempora quae gravibus Christo duce vivis in armis,
144 Haec sunt militiae signa petita tuae.
145 Jamque fere tua ter denos excedit in annos,
146 Vita novum meritis nuper adepta decus.
147 Nam tibi agnatum lavisse in Iordane Christum
148 diceris, et mediis constituisse vadis.
149 Quem super ut patria delapsus ab arce quierit,

150 Spiritus, et castam se simularit avem.
151 Fama est auditam ceu patris ab aethere vocem.
152 Talia non humili verba dedisse sono.
153 Hic est ille meus dilectus filius, in quo
154 sunt animi certe gaudia plena mei.
155 Nate meae requies et honor supreme senectae,
156 Nate ministerio facte beate tuo.
157 Non temere accessit magno tua gratia Christo,
158 nondum natus ad haec tanta vocatus eras.
159 Saecula fatidici tua praedixere Prophetae,
160 e quibus haec aliquis carmina scripta dedit.
161 En sacer ante tuos mittetur nuntius ortus,
162 Qui paret atque tuas monstret inire vias.
163 Ille colet deserta, et voce implebit eremum,
164 omnis iter Domino turba parate suum.
165 Protinus alta cavas implebunt culmina valles,
166 vertice mons humili collis et omnis erit.
167 Recta videbuntur quaecumque obliqua fuerunt,
168 aspera planities, omnia mollis erunt.
169 Hora feret miseris mortalibus illa salutem,
170 Nemo non isto tempore salvus erit.
171 His tua carminibus praedicta est gloria, sed te
172 Virtutem, testis major, habere docet.
173 Namque ferunt dixisse tuo de nomine Christum,
174 majorem nasci non potuisse virum.
175 Non potuisse virum nasci virtute priorem,
176 quem pariat socium femina passa marem.
177 Haec tam vera meas relevant solacia curas,
178 taedia nec fessi corporis esse sinunt.
179 Et mihi nunc plenae languentia fila senectae
180 rumpere, natura non prohibente, libet.
181 Postquam clara tuis meritis mihi vita peracta est,
182 impia cur vetulam fata morentur anum ?
183 Nunc tu, sive colis taciturnam solus eremum,
184 sive tuum populi turba frequentat iter.
185 Illum nate roga quem tu lustralibus undis,
186 abluis et mundi crimina ferre doces.
187 Illum nate roga pro me, rogo, nostra quieto
188 Tempora, et optato claudere fine velit.
189 Sic tibi sit viridis quantum volet ipse juventae
190 Flos sacer, atque suum non cadat ante diem.
191 Sic tibi nulla parent saevi tormenta Tyranni
192 Heu quantum est rabidas non metuisse manus.
193 Sic, si forte volet, quem tu praecedis in orbem
194 ipsum praecedas in sua regna, Vale.

.../...

HELII EOBANI HESSI HEROIDUM EPISTOLARUM LIBER SECUNDUS,
 QUI MIXTAS CONTINET.

HELENA CONSTANTINO.

H2_01 v.1 Littera quae veram ferret tibi nate salutem,
 2 quam merito matris debuit esse tuae.
 3 Cum videas clausae signum venerabile chartae,
 4 Quid verae dubitas esse salutis opus ?
 5 Ista figura fuit caelo tibi visa sereno,
 6 Cum tua Maxenti cogeret arma furor.
 7 In qua nostra salus requiesque et vita pependit,
 8 per quam mortales libera turba sumus.
 9 Quae mundi pretium meruit portare redempti,
 10 Cum lux infernum solveret una chaos.
 11 Arbor ab Eois longe dignissima silvis,
 12 nobilis humanae palma salutis opus.
 13 Omnia quae passis ad se traxisse lacertis
 14 creditur, immenso pondere facta gravis.
 15 Perdita Niligenae plus quam tria saecula genti,
 16 Crux opera matris reddita, nate, tuae est.
 17 Ponimus hoc igitur cerata in fronte sigillum,
 18 quod nullum signo principe majus erat.
 19 Hoc gentiliciis decuit praeponere monstris,
 20 unde recens plena gloria laude venit.
 21 Et majus meritum potioraque gaudia mundo,
 22 tempore in hoc credo non potuisse dari.
 23 Majus erat certe tunc cum pateretur in illa,
 24 cujus crux eadem sanguine rubra fuit.
 25 Majus erat quando nostrae sub imagine carnis
 26 Virgine factus homo est parturiente Deus.
 27 Sed tamen abjecto nasci quid profuit orbi,
 28 in cruce si natus non obiisset homo ?
 29 Vita magis morte est, mors vita dignior illo,
 30 quod Phlegethontaeas proxima fregit opes.
 31 Auctor morte Dei est, nostrae crux alma salutis,
 32 Crux mundi pretio sanguine tincta fuit.
 33 Illa fuit putri, dolor est meminisse, latebra
 34 Clausa, sub infami quo stetit ante, loco.
 35 Hic ubi sub Cancro Solymas sol aspicit arces,
 36 ut non ex aliquo paene sit umbra loco.
 37 Hic locus est nostra dictus "Calvaria" lingua,
 38 accola Judaea "Golgotha" voce vocat.
 39 Hoc stetit illa rubens morientis sanguine Christi,
 40 hoc etiam nobis illa reperta loco est.
 41 Sed neque qua celebres nostrum virtute laborem
 42 Gloria, nec mulier, quam ferat ista, fuit.
 43 Hoc fecit qui cuncta potest et solus, et idem
 44 Qui tulit, amissam reddidit ille crucem.
 45 Magna quidem feci, et longos abitura sub annos,
 46 si qua brevis longum gloria nomen habet.
 47 Compressi hostiles et dux et femina terras,
 48 sumque Palaestino quantus in orbe timor.
 49 Non tamen hoc ausim nostris adscribere factis,

50 nec titulum tantae laudis habere velim.
51 Scit Deus hic animus per quem facit omne quod audet,
52 nullus in hoc umquam pectore fastus erat.
53 Ille dedit timidae certam sperare salutem,
54 quamque dedit, res est ipsa secuta fidem.
55 Venimus antiquam notissima tecta Siona,
56 qua posuit Lyrico de duce templa satus.
57 Non populis Regina jugum positura subactis,
58 non aliqua ex tota gente tributa tuli.
59 Longius haud potui Romanum extendere nomen,
60 Cui sol vix etiam finis uterque fuit.
61 Nec sequor aut Tomyrin magnisve Semiramin ausis,
62 nomina nemo Helenen talia velle putet.
63 Si tamen est illis decori laus sanguine parta,
64 insignes titulo nos meliore sumus.
65 Regna et opes istae tantum terrena petebant,
66 nos alio petimus regna futura loco.
67 Sordibus his sequimur caelestia sola relictis,
68 da veniam, timida talia mente loquor.
69 Illum ego nate sequor, quem tu quoque nuper ab istis
70 egressus tenebris, fassus es esse Deum.
71 Cujusin adversos hostes ut signa moverem,
72 Multa tuli terris, multa pericla mari.
73 Nunc ego sublimi solio Regina sedebam,
74 invita quatiens sceptrum superba manu.
75 Contulit huc aliquam Romana potentia partem,
76 sub pedibus stabant milia multa meis.
77 Ad mea convenit populus mandata vocatus,
78 quando haec sedato pectore verba dedi.
79 Dic genus Israel, Pharii dic semen Ioseph,
80 indice cui tellus contigit ista Deo.
81 Dic ubi ? Cur lateat ? Qua crux est perdita culpa,
82 Morte creatoris facta beata tui ?
83 Hoc tibi Romano Caesar qui praesidet orbi,
84 ut facias per nos hoc jubet ipse Deus.
85 Ante oculos vitamque vides mortemque paratam,
86 Elige sive voles vivere sive mori.
87 Caesaris imperio concussum et nomine vulgus,
88 Quid faceret dubium quidve negaret erat.
89 Cum tamen ad paucos ea res deducta fuisset,
90 vix quoque qui verum diceret unus erat.
91 Hic erat a patribus qui se referebat Iudas,
92 doctum quo lateat crux veneranda loco.
93 Sed qui nec precibus verbisve minacibus esset
94 Ad mea speratam vota daturus opem.
95 Proposui mortem, mortem contempsit, ab illa
96 vidit adhuc clausum carcere sexta dies.
97 Septima lux aderat cum vis famis improba dirae
98 jussit, quod saturo noluit ore, loqui.
99 Templa Palaepaphio stabant celeberrima scorto,
100 vix locus in terris turpior alter erat.
101 Quanta Dei nostri est patientia ? Scilicet illa
102 improba pro Christo staret in aede Venus.
103 Illic saepe aliquis magnum veneratus Iesum,
104 visus Acidalias est coluisse faces.
105 Crimine de tanto dederat me vindice poenas,
106 structa deae nobis diruta templa jacent.
107 Ne scelerata etiam referat vestigia, junctis

108 eversam bobus sulcat arator humum.
109 Incultae vepres juxta sentesque rigeant,
110 nobilis est multis caedibus iste locus.
111 Ecce sed hic precibus superos ubi rite vocaret,
112 Qui Solyma Macareus praesul in urbe fuit.
113 Cumque diu staret magnum veneratus Iesum,
114 Aura levis totum est visa movere locum.
115 Fodit et invenit terra tria signa regesta,
116 ostendit veram scripta tabella crucem.
117 Praeterea esse crucem Christi majora probarunt
118 Signa, quibus certam quis neget esse fidem ?
119 Putre ferebatur vicina ex morte cadaver,
120 Crux tetigit, tacto corpore vita data est.
121 Ille statim sacro petiit se fonte lavari,
122 Qui sacra victoris reddidit arma Dei.
123 Nomina Cyriaco dedimus meliora renato,
124 nunc pia sacrifici praesulis arma gerit.
125 Vidit et indoluit doctor vetus ille malorum,
126 terribili auditus taliter ore loqui.
127 Quid facis heu nobis ingrata, nequissime Iuda,
128 perfide quot mentes non sinis esse meas ?
129 At non, cujushabes sine rebus nomina, noster
130 talis, et in nobis noluit esse nocens.
131 Arte mea mundo truncus fuit iste sepultus,
132 quam placuit nobis perdere reddis opem.
133 At te digna manet pro tali poena reatu,
134 Gloria conveniens non erit ista tibi.
135 Ille crucem contra tollens bona verba locutus,
136 Ad Stygios hostem compulit ire lacus.
137 Gratia Christe tibi, nam tu de morte redemptis
138 Morte tua, vitae, de cruce pandis iter.
139 Tu quoque restituis mundo sua regna jacenti,
140 Dux bonus et saevi conteris hostis opes.
141 Gratia nate tibi, nam tu Jove vera relicto,
142 et colis et toto pectore sacra juvas.
143 Macte nova Caesar nos relligione beatos
144 efficis, hac itur non meliore via.
145 Roma diu falsos coluit Mavortia divos,
146 et nunc heu plures quos veneretur habet.
147 Quod superest veterique jacet caligine mersum
148 ut videat, luci reddere nate stude.
149 Ut vetus expiret tecum nova Roma revivat,
150 Quid dubitas orbem, quo cadat illa, trahi ?
151 Caesar ut est unus terrae qui praesidet uni,
152 sic sciat haec unum Caesaris esse Deum.
153 Fiat ut hoc Deus ecce tibi sua signa remittit,
154 his prius infernum vicerat ille Jovem.
155 Nunc tu sive bonis pacatum legibus orbem,
156 sive regis forti tempora dura manu.
157 De cruce fac sola tua gloria pendeat ista,
158 Christiferae cedat laurea victa cruci.
159 Nec tibi turpe puta signis infamibus uti,
160 hinc tua si nescis vita salusque venit.
161 Crux ignominiae quondam nota facta per illum
162 Qui tulit, est nostrae gloria militiae.
163 Ibis in adversos cruce munitissimus hostes,
164 Christiferam fugiet turba profana crucem.
165 Terribilem fecit qui cum pateretur in illa,

166 Morte sua rerum terruit omne genus.
 167 Hostibus incutiet trepidantibus illa pavorem,
 168 Non aliquo major miles ab ense cadet.
 169 Tu quoque non Aquilis Romana notantibus arma,
 170 Caesaribus victor prae tribus unus eras.
 171 Maximianaem cruce te vicisse Tyrannum,
 172 scit Thybris ultricem ducere visus aquam.
 173 Qua Licini virtute jacent ignobilis arma ?
 174 Cetera qua finem laude Tyrannis habet ?
 175 Heu fatuae mentes quo nomina sola deorum,
 176 mentito numen crux Jove majus erat.
 177 Fortior et caelo, terra crux fortior ipsa,
 178 et caelum et terras qui tulit ipsa tulit.
 179 Christiferae similis qua sit ratione puellae,
 180 si dubitas ista parte videre potes.
 181 Si libet esse puta lignum breve quale videtur,
 182 Non tamen est longum qua ratione neges.
 183 Vertice nam caelos, radicibus infera pulsat,
 184 brachia contingunt Solis utramque domum.
 185 Vera loquor, sed quae multis non vera putentur,
 186 Vera tuum Caesar quo videantur erit.
 187 Excute Romanas gentilia signa volucres,
 188 conveniunt castris altera signa tuis.
 189 Arbor ab Eois longe dignissima silvis,
 190 ut crescat cura est amplificanda tua.
 191 Floreat et totum ramis vitalibus orbem
 192 protegat et ventos arceat atque nives.
 193 Tu modo si qua volet cedro succrescere taxus,
 194 aemula qua debes robora falce mete.
 195 Fallor, an haec paucis ita sunt ventura diebus,
 196 o ita cum nostro Caesare, Christe, velis.
 197 Sic te nate precor per nos inventa secudent
 198 Signa manipulares non habitura notas.
 199 Serviat Hebraeo Romana potentia Christo,
 200 cetera sunt votis inferiora meis.

PAULA HIERONYMO.

H2_02 v.1 Si pater Hebraeos non est grave ponere vates,
 2 perlege Romana pauca notata manu.
 3 Sed quid et unde legas jamdudum, Hieronymus, nosti,
 4 notaque vel tacito nomine Paula fui.
 5 Si tamen addubitas per quem tibi littera nostra
 6 reddita, quo data sit tempore, quove loco.
 7 Noveris haec prisca non venit ab urbe Quirini,
 8 unde vetus ducunt stemmata nostra genus.
 9 Non aliqua de parte data est Oenotridos orae,
 10 Itala jamdudum terra relicta mihi est.
 11 Denique non de quacumque est regione profecta.
 12 Quodquod ab Hebraea quam secet aequor humo ?
 13 Si quo scripta rogas sit tempore, milia dic quot
 14 Barbara Christipara distet ab urbe Tyrus.
 15 Quo quia non potuit citius pedes ire minister,
 16 a calamo parvi temporis egit iter.
 17 Jam puto me sentis vestra in regione morari,
 18 incertus quare, quo duce, quove loco.

19 Accipe, ne teneam doctas ambagibus aures,
20 paene etiam puduit scribere pauca tibi.
21 Per mare delatas Cyprum felicibus Euris,
22 excepit nostras Sidonis unda rates.
23 Exstat adhuc Tyrio Romana in litore navis,
24 ipsa per exiguum tempus in urbe moror.
25 Hic sumus, hunc nullus nos expulit error in orbem,
26 causa fuit nostrae magna decensque viae.
27 Atque ea quae fuerit si tu fortasse requiris,
28 incipis hic certe nescius esse tui.
29 Venimus, et patriam te propter liquimus, atque
30 quod magis est viduae pignora cara domus.
31 At matrem natis de quattuor una secuta est,
32 Eustochium scriptis facta animosa tuis.
33 Illa tuos ut amat fidei studiosa libellos,
34 sic etiam absentis flagrat amore tui.
35 O quoties olim carae memor illa sororis,
36 vestra super tristi funere scripta legit.
37 Atque ita non levibus felix Blesilla poetis,
38 ore sed aethereo prodita, vivis, ait.
39 Et simul undantes in fletus lumina solvit,
40 quae mihi res lacrimas saepe movere solet.
41 Atque ita non flemus tam natam ego, nata sororem
42 quam querimur memores per tua scripta tui.
43 Nam quem tanta nihil moveat facundia, natum
44 Bessagethas inter Sauromatasque putem.
45 Si tamen Odrysii traxerunt carmina vatis,
46 monstra, homines, naves, flumina, saxa, feras.
47 Flectere barbaricas mentes animosque feroces,
48 eloquii potuit gratia viva tui.
49 Testis habet de te non unum Roma libellum,
50 quem legat et laeto praedicet ore suum.
51 Ah quoties aliquem de tot legisse juvabat,
52 cum desiderio mens gemit aegra tui.
53 Nulla quidem rerum ratio nec temporis umquam
54 unum te nobis eripuisse potest.
55 Quo minus absentis nobiscum dulcis imago
56 sit tua, et his animis obvia semper eat.
57 Nostra tibi devota domus te semper adorat,
58 acceptum referat quod tibi semper habet.
59 Sicut enim tota bene de pietate mereris,
60 illustres titulo nos meliore facis.
61 Nam monumenta licet veterum numeremus avorum,
62 reliquias, fascas, arma, trophaea, duces.
63 Omnia gentili sordent squalore, nec ullum
64 elogium verae nobilitatis habent.
65 Nec tanto nobis decori fuit ille subacto
66 Qui Poeno clarum nomen ab hoste tulit.
67 Gloria terrenae parta est mihi laudis ab illo,
68 Tu facis aetherei nominis esse genus.
69 Sanguine debemus tibi Scipio magne fatemur,
70 hinc sumus ex atavis regibus alta domus.
71 Altera sed nostri pars uni debet Iesu,
72 Illa suo quiddam corpore majus habet.
73 Per te nobilior quae nunc Hieronyme facta est
74 corporis et vanum despicit alta genus.
75 Et merito cum se partem de semine caeli
76 inclusam lutea sentiat esse domo.

77 Sentit et ex isto patrias aspirat ad arces
78 exilio, carnis pondere fessa suae.
79 Talia multa tuis quis nescit scripta libellis
80 paene fui tecum qualibus ausa loqui.
81 Omnia tu nosti, nihil est te doctius uno
82 inter caelivagi Solis utrumque larem.
83 Saepe quidem cum dulcis adhuc te Roma teneret,
84 Doctrinae aedideras plurima signa tuae.
85 Ut taceam quoties dederis quae maxima, parvi
86 ut facias, aequum nos petiisse fuit.
87 Quam fueris faciles praebere rogantibus aures
88 quam solitus nulla pectora mole premi.
89 Ergone nos tanto devinctos munere credis.
90 Immemores aliqua parte fuisse tui ?
91 Illa tuae numquam nobis pietatis imago
92 excidit, Ausonia donec in urbe sumus.
93 Nulla tuos nostro exemit de pectore vultus,
94 Nulla tuum nostro nomen ab ore dies.
95 Aut ego sola domo vidua tua scripta relegi,
96 aut civi reliquas in mea vota nurus.
97 Illae clavigeri seu forte ad principis aedem,
98 sacrificae Christo pars quota plebis eram.
99 Seu quaecumque patent totam delubra per urbem,
100 seu tererem lati publica strata fori.
101 Saepe velut denso stipantes agmine circum,
102 De te quaerendi non habuere modum.
103 Est tamen ista malis probitas suspecta quibusdam,
104 metiri solitis facta aliena suis.
105 Tu parvi facies animo nec habebis iniquo,
106 Invidiae virtus optima causa subest.
107 Si multis tua fama bonis hic pura relictata est,
108 Non mirum paucis displicuisse malis.
109 Quae tibi dum refero ceu Soli lumina monstro,
110 et medium certae lucis egere diem.
111 Me fuerat satius praesenti intendere curae,
112 et quae me nequeant dedecuisse loqui.
113 Ergo ubi certa satis stabat sententia Romam
114 linquere et exilii vertere amore solum.
115 Te procul a nobis tellus longinqua tenebat,
116 Nostraque patre suo languit orba domus.
117 Venerat Antiochi praesul Paulinus ab urbe,
118 o celebrem quanta relligione virum.
119 Et Salaminaeis Epiphanius alter ab oris,
120 consona qui propriis nomina rebus habet.
121 Is Romae nostras diverterat hospes in aedes,
122 junctus amicitia proximior mihi.
123 Praesule quo Cyprus Galilaeo servit Iesu,
124 sordibus Idalidos libera facta Deae.
125 Horum ita summa meum movit facundia pectus,
126 sic memet virtus abstulit ista mihi.
127 Ut mihi quam primum rebus patriaque relictis,
128 venerit exilii commodioris amor.
129 Suffectura viae vestes atque aera parabam,
130 Jamque novus tota rumor in urbe fuit.
131 In luctum conversa domus, sic flevit ut ipsae
132 vicinae cuperent me tenuisse nurus.
133 Praecipue Eustochium pleno jam nubilis aevo,
134 Talia cum lacrimis verba locuta mihi est.

135 O quemcumque parens carissima pergis in orbem,
 136 exilii comitem me decet esse tui,
 137 tene ego abire sinam solam ? Mene ipsa relinquo ?
 138 Ante meum rumpat de tribus una colum.
 139 His mihi saepe genas verbis madefecit, et ibant
 140 Cum lacrimis planctus illius atque mei.
 141 Et jam tempus erat vento dare vela vocanti,
 142 ultimaque in patria lux erat orta mihi.
 143 Egredior comes it jam tum Rufina trilustris,
 144 Eustochiumque soror Toxotiusque puer.
 145 Haec mihi tunc aderant clausi jam pignora ventris,
 146 cetera non eadem sors procul esse tulit.
 147 Jamque egressa meis comitata affinibus urbem,
 148 Jam prope conspecto litore puppis erat.
 149 Tum velut atra duae subiturae funera natae
 150 fleverunt miserae flevit et ipse puer.
 151 Indoluisse illis scopulos et saxa querelis,
 152 audivisse etiam litora surda puto.
 153 Et licet Adriaco non sit mansuetior aestu,
 154 strata maris solito lenior unda fuit.
 155 Oscula et amplexus postquam data multa vicissim,
 156 omnibus et summo diximus ore "Vale".
 157 Grandaevo, nam forte aderat, duo pignora fratri,
 158 Cum tota curae jussimus esse domo.
 159 Tum comite Eustochio non magnam ingressa phaselum,
 160 quod bene sit dixi, navita solve ratem.
 161 Dum loquor et retro fugientia litora specto,
 162 Ni fallor turbam me revocasse puto.
 163 Jam clamosa manus versus mea vela tetendit,
 164 triste quid incerto murmure visa queri.
 165 Roma vale dixi, fidei domus incluta sanctae,
 166 Jam verum Petro principe fassa Deum.
 167 Aeternum patria alta, vale, patriique nepotes,
 168 terrarum princeps Romula terra, vale.
 169 Nunc ego suprema vos litora voce saluto,
 170 in quibus est patriae nobilis ora meae.
 171 At tu Roma precor tibi credita pignora serva,
 172 ipsa colam patria dulcius exilium.
 173 Dum loquor aspectum turresque et terra relinquunt,
 174 Jamque patens oculis undique pontus erat.
 175 Cetera quae tulimus superatum fata per aequor,
 176 ipsa tibi mecum filia testis erit.
 177 Quae nunc nescio quid calamo quoque scribit anhelos,
 178 Dum rogo quid facias ipsane quaeris ? ait.
 179 - Gratulor, ergo tibi reddetur epistola duplex
 180 quam bene sic pellex filia matris erit.
 181 Quam bene nos magni salvas clementia Christi
 182 praestitit, optato constituitque solo.
 183 Hic actis aliquot vento remorante diebus,
 184 Ad Solymas arces pergere restat amor.
 185 Omniaque humano loca sanctificata tonanti,
 186 praecipue exanguis pressa sepulcra Deo.
 187 Costidis hinc etiam Sinaia templa puellae,
 188 gestaque Mosaea signa videre manu.
 189 Inde ubi me votis dabitur rediisse potitam,
 190 et fuerit mentis plena cupido meae.
 191 Ad Bethleamiacos caelo loca proxima colles,
 192 ibimus optato turba pusilla gradu.

193 Hic ubi tu studiis pulchrum caelestibus aevum
 194 Degis, et in terris cum superis habitas.
 195 Hic etenim certo requies mea fine futura est,
 196 nec locus in terris gratior alter erit.
 197 Et merito, quem sic nostri reparator honoris,
 198 Natali clarum fecerit esse suo.
 199 Qua stetit illa frequens et agrestibus horrida culmis
 200 quae casa nascentem vidit in orbe Deum.
 201 Huic ego nec veteris celebrata palatia Romae
 202 praetulero, aut Latio templa superba Jove.
 203 Illa operosa fuit nascenti regia Christo,
 204 Aula fuit tanto tam speciosa duci.
 205 Illic angelici natum cecinere choraules,
 206 Hic infans geminum vagiit ante pecus.
 207 Hic tria donarunt sapientes munera Persae,
 208 Regibus aereum pro duce sidus erat.
 209 Caelesti Bethleem domus incluta pane vocatur,
 210 omnis ibi saturo cedit ab ore fames.
 211 O domus hospitium fessae dare dulce senectae
 212 Non est quae possit te prior ulla mihi.
 213 Te quoque pertaesum falsi ludibria mundi,
 214 credibile est illic constituisse mori.
 215 O mihi vel saltem placido sic fine quietae
 216 contingat parvae condere tecta casae.
 217 Pauperis ingrediar tuguri ducentia rimas
 218 limina, et insanis pervia septa Notis.
 219 Scilicet exiguo pudeat me vivere in antro,
 220 Hic ubi rara suum texit arundo Deum ?
 221 Quem precor hoc pudeat, cum tu quoque tantus eodem
 222 quamvis exiguo legeris esse loco.
 223 Non tamen exiguo, nam si virtutibus addas,
 224 Haec spatium caelo moenia majus habent.
 225 Nam qui mole sua captus* excesserat omnes, (* mot illisible)
 226 viderunt clausum parvula tecta Deum.
 227 Totius haec igitur domus est clarissima mundi,
 228 Totius haec summum protulit orbis opus.
 229 Non alibi emeritam potuisti claudere vitam,
 230 nos quoque non alibi consenuisse decet.
 231 Ipse tuae famulae redeant feliciter ora,
 232 longe aberit, si tu faveris, omne malum.
 233 Utque facis Christo natam trade atque parentem,
 234 tempore ut aspicias laetus utramque brevi.

ANNA JOACHIMO.

H2_03 v.1 Anna viro conjux Joachimo mitto salutem,
 2 mitto simul fratri si libet Anna soror.
 3 Illud enim potui nomen meruisse videri,
 4 Non aliquo tecum pignore facta parens.
 5 Legitimi solum tuleris commercia lecti,
 6 Jam soror ipsa tibi, tu mihi frater eris.
 7 Quinta fere triviae coierunt cornua lunae,
 8 Dum queror absentem sola relicta virum.
 9 Nam quia sis sacris discedere jussus ab aris,
 10 Fama est ignotum constituisse mori.
 11 Ah nimium vindex accepti poena pudoris,

12 quam premis, est tanto culpa dolore minor.
 13 Tu nemora et saltus et saxa horrentia lustras,
 14 et reliquo foetas cum grege pascis oves.
 15 Ipsa gemens viduo jaceo, et sine luce cubili,
 16 Nox tamen est curis non satis ista meis.
 17 An quia te arguerit summus de lege sacerdos,
 18 abjectum tota relligione putas ?
 19 An quia desperes sterili de conjuge prolem,
 20 quod superest vita caelibae tempus ages ?
 21 Et mihi quod multa magis est ratione dolendum,
 22 spernis in abjectam forte redire domum.
 23 Spiritus ante leves precor hic exhalet in auras,
 24 ne causam sine te mortis abesse querar.
 25 Quid mihi fecundae numeroso semine matres ?
 26 Quid reliquae dicent libera turba nurus ?
 27 Tota malum certe de me Galilaea loquetur,
 28 nec sat erit culpa Nazareth una meae.
 29 Ipsa domo vidua perturbatos hymenaeos,
 30 ipsa feram sterilis damna pudenda tori.
 31 Nec mihi continua lacrimarum mole gravatae
 32 fas erit in populum quolibet ire foras.
 33 Scilicet exierim nasutae fabula plebi,
 34 saepe malis vultu saepe notanda manu.
 35 Atque aliquis miserae mihi dixerit impius osor
 36 Vir tuus, ut templis munera ponat, ubi est ?
 37 Heu mihi quid faciam tam grandibus anxia curis,
 38 vulnera erunt cordi talia verba meo.
 39 Tunc cupiam extremos, si qua est via, tollar ad Indos,
 40 aut ubi stat vasto pondere nixus Atlas.
 41 Seu qua Lycaoniam vis me jactarit ad Arcton,
 42 qua ferus unguipedes Sarmata pascit equos.
 43 Omnia dura prius quam duri opprobria vulgi,
 44 Mens sibi demeriti conscia ferre potest.
 45 Quamvis innocuum quid te meruisse putandum est ?
 46 Causa nocens poenae vindicis ipsa fui.
 47 Ipsa diu thalami vanos ignobilis usus
 48 Jam dudum culpa suspicor esse meae.
 49 Atque ita dum vario curarum suppressor aestu
 50 et queror absentis displicuisse viro.
 51 Spes nova de superis nova consolatio venit,
 52 o bona, et ex animo spes referenda mihi.
 53 Esse quid hic reris quod jam pejora querenti,
 54 Tam citalaetitia causa fuisse queat ?
 55 Non ego te longa suspensum ambage morabor,
 56 si qua placent laus est dicere fine brevi.
 57 Pronus anhelabat sub noctem condere Titan,
 58 Oceano radiis jam rutilante diem.
 59 Tristia difficilis flebam dispendia lecti,
 60 Non tamen in vanas tota soluta preces.
 61 Ecce per illunem jubar effulgere fenestram,
 62 totaque luce nova visa nitere domus.
 63 Dum stupeo et tremulos gelidus timor occupat artus,
 64 ante meos oculos palmifer ales erat.
 65 Candida vestis erat tenui pellucida filo,
 66 fallebant oculos attamen illa meos.
 67 Tales saepe ferunt genios vidisse Deum, quas
 68 aetatum custos littera cantat anus.
 69 Neve putes oculos lusus ab imagine falsa,

70 praebuerant certam verba secuta fidem.
 71 Quae nunc legitimi gemis otia vana pudoris,
 72 Summaque pro danda numina prole moves.
 73 Accipe ne dubites neu sis ignara futuri,
 74 ante Deum est precibus gratia parta tuis.
 75 Vidit et ex ipso visam exaudivit olympto,
 76 aeterni pietas officiosa Dei.
 77 Visa diu sterilem mature ingressa senectam,
 78 mox nova concepto pondere mater eris.
 79 Atque ut mirifice clausa nascetur ab alvo,
 80 sic te quam paries filia major erit.
 81 Nomen erit Mariae, lucem quia gentibus edet,
 82 et sacra et ex utero flamine plena Deo.
 83 Templam colet, sacras stabitque iuvenula ad aras,
 84 donec eam nasci qui jubet, ipse volet.
 85 Nec dubita tot te sterilem et sine prole diebus
 86 posse novis fieri foetibus Anna gravem.
 87 Sara novem decies sterilis permansit in annos,
 88 qua tamen Isaac aeditus exit anu.
 89 Israeligenis de fratribus orbus Ioseph,
 90 Est infecunda de genitrice satus.
 91 Exiit occlusa Samson robustus ab alvo,
 92 hoc nascente parens in Samuele fuit.
 93 Ergo diu remorata aegri solacia lecti
 94 reddita, quo signo confitearis habe.
 95 Est via surgentem qua porta salutem Eoem,
 96 Sola inter Solymas aurea nomen habet.
 97 Illac exieris redeuntem amplexa maritum
 98 excipies, quo post tempore mater eris.
 99 I nunc virginei florem latura pudoris,
 100 et plecti ex merito teque virumque puta.
 101 Dixit, et in tenues secus haud evanuit auras,
 102 quam cita consumpta fulgura nube solent.
 103 Ipsa ego qua potui fugientem voce sequebar,
 104 Laetitiam lacrima testificante novam.
 105 Quisquis es o superum comes et facunde minister,
 106 fac rata sint per te nuntia dicta mihi.
 107 Nunc tu sive pari solatus numine (namque
 108 credi te nobis plus meruisse decet)
 109 sive manet tristi gravidus sub pectore maeror,
 110 ut tandem redeas in tua vota precor.
 111 Ibis in amplexus pariturae conjugis olim,
 112 Gaudia quanta tibi ? Gaudia quanta mihi ?
 113 Jam dolor et curae valeant animique labores,
 114 membra voluptificum nostra gravabit onus.
 115 Illa diu nostrae requies sperata senectae,
 116 hoc venit uberius quo magis tarda venit.
 117 Ecce maritalis quam plena repensio damni,
 118 i nunc et sterilis taedia finge tori.
 119 Quo rogo sollemnes pudefacto nuper ad aras,
 120 pulchrius amissus redditus esset honor.
 121 Quanto igitur pejus pressa est tua tempore ab illo,
 122 tanto nunc populis gloria major erit.
 123 Aspiciet nostri quondam obtrectator honoris,
 124 et misero forsitan quo crucietur erit.
 125 Aspicient nobis qui condoluere, nec illis
 126 Laetitiae deerit copia grata novae.
 127 Quam cito vicinas ea fama exhibit in urbes,

128 quas Judaea potens et Galilaea tenent.
 129 Tunc tibi nec princeps volet exprobrare Sacerdos,
 130 invida nec sacras claudere turba fores.
 131 Dulcia inexperto succrescent pondera ventri,
 132 donec agat plenam Cynthia nona rotam.
 133 Namque, quod haud credo, nisi fallit palmifer ales,
 134 Magna erit haec certe filia quicquid erit.
 135 Nam quid mirifice ? Quo semine ? Quo ve marito ?
 136 Quid ? Cujus lucis gentibus aedat opus ?
 137 Quid ? Jam plena Deo ? Sacras quid stabit ad aras ?
 138 Donec, eam nasci qui jubet, ipse volet ?
 139 Haec sunt virtutis certissima signa futurae,
 140 quae bonus hic vero nuntius ore docet.
 141 Ergo nec immerito nostri penetrabilia ventris,
 142 Clausa diu magnum parturiere decus.
 143 Carius est quodcumque bonum spes longa morata est,
 144 semper et in magnis rebus ubique mora est.
 145 Et velut ex facili brevis addit gratia parto,
 146 sic aegre quicquid venit habere juvat.
 147 Hinc decuit nostri remorari gaudia partus,
 148 Major ut ex tardo consequeretur honos.
 149 Non fuit ergo aliqua culpa hoc venisse querendum,
 150 Consilii res haec omnipotentis erat.
 151 Qui caelum terrasque chaos produxit inertis,
 152 Imperium cuius cuncta creata manent.
 153 Quem nostri prima coluere ab origine patres,
 154 Cum puero genitor, cum genitore nepos.
 155 Qui rubro Pharium confudit in aequore regem,
 156 Atque haec Israel duxit in arva genus.
 157 Illi pro tanto referamus munere grates,
 158 donec in hoc vivi corpore uterque sumus.
 159 Ut cum fugerimus praesentis taedia vitae,
 160 frigidaque impositus texerit ossa lapis.
 161 Spiritus aethereis non exsulet actus ab oris,
 162 sed patrii felix incolat arva soli.

MARTHA MAXIMINO.

H2_04 v.1 Perlege Magdalidos nisi sordet epistola Marthae,
 2 vix bene Judaea facta Latina manu.
 3 Quo magis erranti debes ignoscere dextrae,
 4 hac patrias usae scripsimus ante notas.
 5 Quaeque Hebraea prius didicit manus ire retrorsum,
 6 nunc male directum Romula tentat iter.
 7 Ergo sua dispar si stet sine lege character,
 8 Haec ruditas veniam quo mereatur habet.
 9 Aspicias aliquas etiam fortasse lituras,
 10 hoc flentes oculi scribere more solent.
 11 Non quibus incesti lacrimis solantur amores,
 12 Non quibus absentem deflet amica virum.
 13 Sed quibus ipsa suum crudeli in funere natum,
 14 flevit inhumano semine facta parens.
 15 Sic ego longinquae cultrix, nunc exsul, eremi
 16 Multa diu silvis et sine teste queror.
 17 Hospitis ecce subit praesentia dulcis Iesu,
 18 Hic precor in lacrimas non ego tota flum ?

19 Externas abiit redivivus frater in oras,
20 nunc populis rectam praedicat ille fidem.
21 Antra soror petiit longo deserta recessu,
22 longius et forsam quam decuisset abest.
23 Te quoque saeva procul nobis fortuna coegit,
24 nec requiem passa est hanc superesse mihi.
25 Sola levat nostras Marcella pedissequa curas,
26 exilii cultrix haec quoque fida mei.
27 Ipsa domo vidua, et parvo contenta sacello,
28 pauperiem levibus praefero divitiis.
29 Nam quibus in patria rebus praedives agebam,
30 gratulor hic certe quod caruisse licet.
31 Nam quibus ista semel venit sitis aemula Christi,
32 divitiae spinas et grave virus habent.
33 Libera ab his igitur curis Lernaque malorum,
34 Corpus in hoc regnum non simulanter ago.
35 Inter Arelatias et Avinia moenia turre,
36 Hic ubi de Braccis Gallia nomen habet.
37 Venimus aequoreis hunc actae fluctibus orbem,
38 hoc tandem nostra est ancora fixa loco.
39 Hic ego, quae virtus non est mea, nota frequentor
40 Adque meos veniunt plebs numerosa lares.
41 Grata sit o utinam victori ea gloria Christo,
42 fumus ad hunc animum pertinet iste nihil.
43 Quod si forte roges unde ista frequentia? Causam
44 nec didicisse tibi est nec mihi turpe loqui.
45 Non tanti Judaea feris erat advena Gallis,
46 Ingenii merces non fuit ista mei.
47 Ipse nova afflictatae fecit spectacula genti,
48 Qui vitam fratri reddidit ante meo.
49 Est locus horrenti densissimus undique silva,
50 rupe sub umbrosa stagnat opaca palus.
51 Innocuas prius infecit Draco pestifer undas,
52 Jamque omnis juxta noxius aer erat.
53 Lurida vicinas invasit pestis in urbes,
54 rura nec agricolis tuta fuere suis.
55 Strata jacent passim grassante cadavera morbo,
56 iratum populo dixeris esse Deum.
57 Morbida quinetiam mediis animalia silvis,
58 Cum vita catulos deseruisse ferunt.
59 Saepeque tabifico nubem cecidisse volucrum,
60 et vitam caelo non potuisse trahi.
61 Saepe latens etiam vicini in fluminis unda,
62 dicitur incautas praecipitasse rates.
63 Interdum insidiis nactum loca tuta viarum
64 innumeros avida corripuisse gula.
65 Cladibus his igitur tristis vicinia, tandem
66 fisa Deo nostram sollicitavit opem.
67 Praebuimus facilem justis hortatibus aurem,
68 Ad monstrata trucis venimus antra ferae.
69 Multa timens longo plebs restitit intervallo,
70 suspensa tacite mente futura manens.
71 Ipsa salutato Stygii victore Draconis
72 accessi audaci lustra timenda pede.
73 Ecce sed assuetis dum pectora munio signis,
74 monstrosum juxta conspicio esse pecus.
75 Exuvias hominis lambebat et ossa perempti,
76 sanguine adhuc calido sparsa rubebat humus.

77 Dicere qua fuerit letalis bestia forma,
78 Nulla sine ingenti lingua tremore potest.
79 Ore tenus vasto Cadmaeo immanior angue,
80 quemque pyra vidit vindice Lerna mori.
81 Qualis erat quem praecipitem de sede Michael
82 aetherea, Stygiae trusit ad antra domus.
83 Lata venenificis pandebat rictibus ora,
84 vulnificis ingens dentibus ordo fuit.
85 Vibrabat tardis ingentes motibus alas,
86 ore vorax, mordax dentibus, ungue rapax.
87 Turpiter immundum cauda desivit in anguem,
88 multiplicem fecit lubrica spira rotam.
89 Hunc tamen immanem vita spoliavimus hostem,
90 Haec etiam victor gloria, Christe, tua est.
91 Non mea Amazoniam torquebat dextra securim,
92 nec Lacedaemonio canduit ense manus.
93 Frons mea non galeam thoracave pectus habebat,
94 Arma quis in timida virgine sumpta probet ?
95 Praebuit arma fides mihi praesentissima Christi,
96 Spes rata pro clypeo, crux mihi cassis erat.
97 Mens devota Deo strictum sese obtulit ensem,
98 in superos hastam non simulatus amor.
99 His instructa armis hoc agmine tuta potensque,
100 compressi immanem femina nuda feram.
101 Ille quidem solito venienti blandior, omnes
102 saevitia posuit jam fugiente minas.
103 Sicut ubi irato vulpes blandita leoni,
104 impresso supplex pectore reptat humi.
105 Sicut et imbellis coram tondentibus agnus,
106 aut canis ad positas officiosa dapes.
107 Horrida jam vinctum muliebri guttura cesto,
108 fortiter incultum traximus ante nemus.
109 Obruit hunc populus saxis confodit et hastis,
110 carmine testatus gaudia summa novo.
111 Sic cecidit victore Deo ferus ille potensque,
112 nuper Arelatii depopulator agri.
113 Gratia victori mox acta est debita Christo,
114 suscipiunt sacram milia multa fidem.
115 Ad nova conveniunt stupidae miracula gentes,
116 lustralesque pia voce precantur aquas.
117 Chrismate Apostolico venias precor uncte sacerdos,
118 praecipue sacrum te decet illud opus.
119 Credentis populi veteratas abluere sordes,
120 debitaque auctori foenora redde Deo.
121 Pro pietate vacent Aquitanica templa parumper,
122 Templa pater meritis facta beata tuis.
123 Frater in has merito partes quoque Lazarus isset,
124 sed procul hinc tellus Massiliensis abest.
125 Illum cura tenet commissae strenua plebis,
126 Tu magis hic certe tutus abesse potes.
127 Tuque prior meritis cano et reverentior aevo,
128 praecipue sacrum te decet illud opus.
129 Et jam tota tuas decantat Gallia laudes,
130 per te de veteri libera paene chao.
131 Error adhuc paucis Druidarum spirat in antris,
132 cetera virtute est fabula fracta tua.
133 Nam licet et Mariae gens debeat illa sorori,
134 quam tibi commissam Lazare frater habes.

135 Plus tamen acceptae per te stat gloria famae,
 136 praecipue sacrum te decet illud opus.
 137 De septem decies Christi viventis alumnis
 138 additus es nostrae duxque comesque viae.
 139 Te duce nostra data est ventis sine remige navis,
 140 Te comite in portum non minus acta suum.
 141 Caerula tu fortes turbantes aequora ventos
 142 jussisti celerem carpere saepe fugam.
 143 Ad tua consedit Boreas mandata nivalis,
 144 occuluit nigrum torva procella caput.
 145 Tu dux tuque comes nobis, tu rector, et idem
 146 Navita, tuque pater tu quoque frater eras.
 147 Omnia sicut eras et adhuc ut es omnia nobis,
 148 praecipue sacrum te decet illud opus.
 149 Me lex feminei sexus vetat addere cuiquam,
 150 quae nisi de vestra non datur unda manu.
 151 Legitimus saltem si possit adesse minister,
 152 Non aliquam legem quicquid oportet habet.
 153 Quare age ne tardes populi te longa moratur,
 154 Atque novum series discit avara Deum.
 155 Officiosa quidem populo documenta ministro,
 156 qua licet, et quantum virgo docere potest.
 157 Nec male sic forsitan Christi sudamus in agro,
 158 o utinam pietas grata sit ista Deo.
 159 Saepius utque meas ire est dignatus in aedes,
 160 hospes dignetur pectoris esse mei.
 161 Donec ab humanae resolutus carcere vitae,
 162 alta celer supra spiritus astra volet.
 163 Plura vetant lacrimae per labra in verba cadentes,
 164 quas amor ignavas non sinit esse. Vale.

MONICA AUGUSTINO.

H2_05 v.1 Nec tua Phoenissae portu Carthaginis exstant,
 2 nec datur ignotum per mare vela sequi.
 3 Causa duplex animum rapit in diversa dolentem
 4 Non hoc debueras nate fuisse mihi.
 5 Diceris Iliacam procul hinc concedere Romam,
 6 cultaque Martigena Tybridis arva manu.
 7 Ipse cito veheris Tyrrhena per aequora cursu,
 8 me tamen invitam Punica servat humus.
 9 Nam quis amor patriae est sine te mihi nate futurus,
 10 maxima pars tecum cessit in alta mei.
 11 Quam vellem tumidum in pelagus nova vela parantem
 12 intempesta maris detinuisset hiems.
 13 Aut Deus immani luctantes pondere ventos
 14 aeris aut omnes praecipitasset aquas.
 15 Non tua de nostro solvisset litore puppis,
 16 nec mater de te forsitan orba forem.
 17 Non pudet ut fugeres cursus celasse parentem,
 18 qua licet invita quolibet ire tibi.
 19 Scilicet hoc series studiorum immensa monebat,
 20 Vos penes hoc omnes nomina tanta sphi.
 21 Turba pares estis doctorum semper in illo,
 22 Virtutem vobis est didicisse satis.
 23 Ipsi negligitis quod pro mercede docetis,

24 janua nunc etiam quaestibus illa patet.
 25 Ista sed impugnent si quos juvet esse severos,
 26 nos humili tantum femina mente sumus.
 27 Carmina lugentes dictent mihi maesta Camenae,
 28 a tibi contempta digna parente cani.
 29 Illa quidem toto resonantia litore canto,
 30 Hic ubi Elisaeam verberat aequor humum.
 31 Audiit ex alto vicinus navita ponto,
 32 Qui simul in portu constitit ista refert.
 33 Filius hesternus tuus isthac luce per aequor
 34 venit in Ausoniam vela daturus humum.
 35 Obstupuit subito concretus frigore sanguis,
 36 vix gelidam ancillae sustinere duae.
 37 Tale quid Aureli de te restabat, ut essem
 38 infelix poenas inter et orba nurus ?
 39 Ante quidem sensi sed non abiisse putabam,
 40 Hic potior nostri causa doloris erat.
 41 Non tua maternis amplecti membra lacertis,
 42 Non licuit summa voce dedisse "Vale".
 43 An fuit hoc nimium matri dare ? Finge fuisse
 44 numquid eram cursus impeditura tuos ?
 45 Ante ego si qua tibi fors mandata dedissem,
 46 debueras monitis fultus abire meis.
 47 Certe ego non illo saltem contempta viderer,
 48 nunc plena ex omni parte querela mea est.
 49 Atque utinam quererer tantum fugisse, nec ullo
 50 Hunc praeter de te maesta dolore forem.
 51 Non mea planxissem tortis praecordia palmis,
 52 nec, quo nunc, mordax unguis iturus erat.
 53 Quique modo est vivo Phoenix moriturus in igne,
 54 forsan in hoc animus jam Salamandra foret.
 55 Non ego te volui Latio prohibere petito,
 56 Ah aliud quod te, nate, decebat erat.
 57 Doctus ut es studiis heu frustra imbutus profanis,
 58 et factus curis cura molesta meis.
 59 Aspicis ut toto cedentibus orbe deorum
 60 numinibus, Christum pro Jove quisque colit.
 61 Spirat adhuc aliquo vix Cerberus ore trilinguis,
 62 Dum gemit Herculeae guttura fracta manu.
 63 Tot divos tot monstra Deum jam victa videmus,
 64 Quis vicit ? Virtus unius alta Dei.
 65 Cur statuae, cur templa jacent ? Oracula cessant ?
 66 Facta creatori destituisse leve est.
 67 Hactenus erratum est nec adhuc errore caremus,
 68 Felix errorem qui videt atque cavet.
 69 Namque, sed heu simplex plus quam vitiosa vetustas,
 70 Tam multos frustra credidit esse Deos.
 71 Cum sit et illa tuum scriptis reprobasse Platona,
 72 caelivaga quoties mente reliquit humum.
 73 Quando haec unanimes ita praedixere Sybillae,
 74 et legis Hebraeis vatibus ista cani.
 75 Fraudibus humanas mentes coepere periti,
 76 Naturae variis legibus ire rotam.
 77 Quae modo daemonibus sublata potentia ab illo est,
 78 Qui Deus e verbo virgine natus homo est.
 79 Qui simul ut terras descendit ab arce paterna,
 80 omnia sunt profugis templa relicta deis.
 81 Creta Jovi, Delos Phoebus, sua Roma Quirino,

82 Vulcano Lemnos, India Bacche tibi.
 83 Posthabuit Cytherea Paphum, Samon improba Juno,
 84 et quae praeterea vana referre pudet.
 85 Arva papyriferi tetigit felicia Nili,
 86 orba figurato numine Memphis erat.
 87 Cetera tu nosti nisi nolis scire, potesque
 88 addere in hoc majus quam mea scripta tibi.
 89 Infidam modo pone fidem, simul omnia nobis
 90 reddideris quae te posthabuisse queror.
 91 Sinceram modo sume fidem, sopitaque pande
 92 Lumina, tot noctes auferret una dies.
 93 Ad vitam de morte redi, quid vera relinquens,
 94 mavis heu nimium perditae falsa sequi ?
 95 Vadis ad interitum vita revocante, nec audis
 96 clamantes, quam nunc pergis, iniqua via est.
 97 Floribus illa quidem variis peramoena videtur,
 98 in quibus Alcides forte quis ire volet.
 99 At cito quae spondent negat interiore recessu,
 100 prima rosam spirat, summa mephitin olet.
 101 Accipit incautos specie bonitatis, ut autem
 102 ceperit, in scopulos praecipitanter agit.
 103 Quam bene per scopulos et saxa urentia primum
 104 itur ad aeternis cincta vireta rosis.
 105 Arcta est ad superos paucis viatrita, sed ampla est
 106 quae fert ad Stygios milia multa lacus.
 107 Illa rudis, deserta, arens, super ardua ducit,
 108 Haec nova culta virens, inferiora petit.
 109 Quas ferus Oechalidos raptor cum vidit Ioles,
 110 arentem viridi praeposuisse ferunt.
 111 Cujusut interea haec, ceu somnia vana, refutes,
 112 exempla e Christi dogmate plura feres.
 113 Linque nefas vanamque fidem, sunt vana profecto
 114 dogmata, quae tecum milia multa tenent.
 115 Aeternum cognosce Deum super omnia, teque
 116 Perge creatori conciliare tuo.
 117 Reice sordentem casto de corpore pallam,
 118 spectandus niveis vestibus ire potes.
 119 Talibus aetherea Christus redimitus in aula,
 120 praecedit niveas signifer agnus oves.
 121 Quod si falsa voles, ut debes velle, negare
 122 Signa animae lustrans abluat unda caput.
 123 Et nisi me praesaga boni mens fallit, ab ista
 124 Perfidia toto pectore noster eris.
 125 Hoc tua promittunt pietas mihi mensque fidesque,
 126 praecipue ingenii divitis altus honor.
 127 Saepe etiam de te mihi somnia longa videntur,
 128 successu quorum pauca carere velim.
 129 Nunc cruce signatus rubra mihi stare videris,
 130 proque fide stultis gentibus esse minax.
 131 Nunc argumentis veteres convellere divos,
 132 nunc sacra Christum primus in aede loqui.
 133 Ergo ego vel Christo fidum te nate videbo,
 134 vel requies vivae non erit ulla mihi.
 135 Utque diu, superos quo tu salvare precabor,
 136 noster amat flecti voce rogante Deus.
 137 Pectora vindicibus lassabimus anxia palmis,
 138 conteret arentes plurima gutta genas.
 139 Multa dies tristem, laetam me nulla videbit,

140 donec, ut es, misere perditus esse voles.
 141 Liqueris erroremque tuum verumque probaris,
 142 ex vetula juvenis facta videbor anu.
 143 O illum superique diem sperataque fata
 144 ducite, sic vobis lex bona semper eat.
 145 Nunc quoque quam sequeris spatiosa per aequora Romam
 146 paulatim Christo subdere colla ferunt.
 147 Hic aliquis qui te longa de nocte redemptum,
 148 incipiat luci reddere forsitan erit.
 149 Vel tu pseudologis victis nova signa videbis,
 150 et Manii linques dogmata vana tui.
 151 Aut rapere indoctos spectans sine vindice caelum,
 152 triste ferens doctos ad Phlegethonta rapi.
 153 Quaesturam pejora veta, morituraque serva
 154 Pectora, nec matrem desere nate tuam.
 155 Sic tibi sint faciles Tiberina ad litora venti,
 156 Fataque succedant sed meliora. Vale.

ANASTASIA CHRYSOGONO.

H2_06 v.1 Quam dare non potuit, cui debuit ipsa salutem,
 2 Chrysogono infelix optat Anastasia.
 3 Hinc ubi Tyrrenos viridis Palmaria fluctus
 4 projicit in portus, Romule, Thybri tuos.
 5 Primus ab hoc nuper qui solvit litore navim,
 6 illi quae legeres scripta ferenda dedi.
 7 Qui nunc oppressa vix tutus in urbe moraris,
 8 exulis oblitus numquid es anne memor ?
 9 Namque nec ulla tuae visa est mihi littera dextrae,
 10 postquam proscriptam tertia luna videt.
 11 Et mihi Caesaribus qui lege fugantur eadem,
 12 Dum rogo num valeas, dicere posse negant.
 13 Ergone es ignotus patria vir tantus in urbe ?
 14 Quis patres etiam posse latere putet ?
 15 Nec puto quod lateas, nisi te quoque publica falso
 16 flebilis edicti crimine jura notent.
 17 Non tamen hac, certum est, latebras ratione subisti,
 18 contemptricem animam tu quoque mortis habes.
 19 Vidisti cecidisse viros pro nomine Christi,
 20 questus idem totiens non licuisse tibi.
 21 Nec dubito retineris adhuc vitalibus auris,
 22 Non posset tantum fama tacere nefas.
 23 Sed timeo ne tu quoque forte ubicumque locorum,
 24 a patriis longe finibus exsul agas.
 25 Hic timor, illa animum sine fine molestia turbat,
 26 mole sub hac gravius nocte dieque premor.
 27 Quod si vera animi metus arguit, heu quibus umquam
 28 Heu quibus invenient te mea scripta locis ?
 29 Clausa brevi teneor spatio terraeque marisque,
 30 Non mihi praescripto solvere ab orbe licet.
 31 Non est quo fugiam, clausit feros omnia Caesar,
 32 imperat hic terris imperat ille mari.
 33 Libera dimittar nec lege coercer ulla,
 34 Jam mihi difficilis nulla futura via est.
 35 Per loca Chrysogonum quaeram et sequar omnia, donec
 36 vel tecum vivam vel sine te moriar.

37 Dura nec ignitis prohibebit solibus aestas,
 38 trux licet infesto saeviat ore Canis.
 39 Non rapidus Boreas pluviusve morabitur Auster,
 40 nec nive Rhiphaea sparsa tenebit hiems.
 41 Per juga, per saltus, per aquas, per iniqua viarum,
 42 impediunt teneros aspera nulla pedes.
 43 Neve quis errantem possit novisse puellam,
 44 ipsa mei cultus forma virilis erit.
 45 More virum tunicasque feram latosque galeros,
 46 neglectam dura forfice secta comam.
 47 Feminei facile est mutare vocabula sexus,
 48 sordebit totum syllaba fracta genus.
 49 His ego si liceat pro te majora subirem,
 50 nec meus est aliqua parte pudendus amor.
 51 Ille quidem primis tibi me vincivit ab annis,
 52 Hunc neque mors rapida finiet atra manu.
 53 E manibus mihi vita tuis dulcissima venit,
 54 ante datum per te mortua lumen eram.
 55 Christicola genitor gentilem ex matre creavit,
 56 At meritum de me tu patre majus habes.
 57 Corporis ille artus, animi tu dona dedisti,
 58 Fecit uterque aliquid, tu magis, ille minus.
 59 Ipsa etiam nunc cana parens ut nomine dicta est,
 60 sic ipso rerum pondere fausta fuit.
 61 Illa mihi magno praelusit ad ubera Christo,
 62 Cumque ipso potui sugere lacte Deum.
 63 Illa meam sacros linguam formavit in usus,
 64 nullus in innocuo Jupiter ore fuit.
 65 Ne tamen interea durus pater ista notaret,
 66 saepius ingenio dicitur usa tuo.
 67 Sacra Deis quoties simulata penatibus egi,
 68 ipsa mihi dixit sacra fac ista neges.
 69 Atque ita mentito genitor deceptus honore,
 70 aetati indulisit libera frena rudi.
 71 Nubilus interea venit sed iniquior aetas,
 72 detectrix animi prima erat illa mei.
 73 Cur tamen accusem? Certe non aequa fuisset,
 74 si mea Lethaeis coepta dedisset aquis.
 75 Sola ego de tanto latuisset ingloria vulgo,
 76 Nullaque erat meriti fama futura mei.
 77 Nec mihi, quem colimus sperata morte fateri,
 78 quodque sequor tantum non licuisset opus.
 79 O illum mihi fata diem superique favete,
 80 eveniat capiti tanta corona meo.
 81 Sanguine jam rubeo rorantes undique venas
 82 Jam tremulas cerno per mea membra faces.
 83 Jam furit ambusto flammis pyra fervida palo,
 84 Jam feror angelicos inter et ante choros.
 85 Viderit at de me magni Deus arbiter aevi,
 86 intrepide poenas quas volet ille feram.
 87 Ergo nec innocuos aetas mea fleverit annos,
 88 in lucem vultus protulit illa meos.
 89 Venimus ad thalamum non aequa lege jugalem,
 90 Cui data sum falso sub Jove miles erat.
 91 Tunc Hymenaea fugax cecinit feralia bubo,
 92 junctaque cum facibus maesta cupressus erat.
 93 Non ultra simulare deos, non amplius ullum
 94 aversa potui fingere mente Jovem.

95 Fassa Deum primis coluisse, ut nunc quoque, ab annis
 96 quae colitis dixi, numina crimen habent.
 97 Scilicet erranti vixissem nupta marito,
 98 quem potui rectae commonuisse viae ?
 99 Ante ego Caucasea diram sub rupe volucrem,
 100 saepe renascenti pascere corde velim.
 101 Ante ego quam memorant, Cepheidos arcta catenis
 102 in scopulos numquam dissoluenda mori.
 103 Quam mea sic vetito desumere tempora lecto
 104 turpiter, et vani crimen habere thori.
 105 Tum me si qua suam fecissent pignora matrem,
 106 num potui misero perdita ferre patri ?
 107 Florida deformi foedassem tempora luctu,
 108 venissetque suos ante senecta dies.
 109 Spiritus aut tenues meus exhalasset in auras,
 110 et potui nimio fracta dolore mori.
 111 Sed melius nostris consultum est rebus ab illo,
 112 immensum patria qui rotat arte globum.
 113 Tuque dator fideique bonae veraeque salutis,
 114 Majus Anastasia martyre nomen habes.
 115 Nam nisi tu crescenti igni fomenta dedisses,
 116 et tibi ni virtus nostra agitata foret.
 117 Forte ego quae medios vulgavi signa per hostes,
 118 percita non contra Caesaris ira foret.
 119 Forte nec immeritas subiissem carceris umbras
 120 unde data a nobis littera multa tibi est.
 121 Sic tamen esse juvat dulcissima vulnera passam
 122 o superet gravior poena obeunda mihi.
 123 Omnium ut excutiant generum tormenta Tyranni,
 124 Unius haec noster non facit assis amor.
 125 Est leve pro certa mortem contemnere vita,
 126 Vita quidem longa est, mors quotacumque brevis.
 127 Aspice dissectum lacrimoso vulnere Christum,
 128 et mala pro Christo tantula ferre nega.
 129 Ipsa securigeros metuam tolerare maniplos,
 130 huic lanient sanctam dira flagella cutem ?
 131 Injectam collo mihi sit grave ferre catenam ?
 132 Immerito vinctus non semel ille fuit.
 133 Impia praesentis terrebor ad ora Tyranni,
 134 iudicium multo tristius ille tulit.
 135 Ipsa comis dubitem caput exhibuisse trahendum,
 136 ornatus sertis heu quibus ille fuit ?
 137 Ipse Deus moriens cedro pendebat ab alta,
 138 Haec anima ingratum tam male corpus amet ?
 139 Ipsa sequi dubitem castas animosa sorores.
 140 Flamma nocens Agapen sustulit et Chionem.
 141 Tertia servatur vicinae in carcere morti,
 142 Heu soror aetatis crimine viva tuae.
 143 Sufficit hoc, etiam laesuros corpus in ignes,
 144 sunt mihi quae stricto colla sub ense cadant.
 145 Me quoque quin miserae revocatam redditis urbi
 146 Est amor afflicta pro pietate mori.
 147 Quae mora quae pietas te nunc, Praefecte, moratur
 148 o qui dulce nihil, nomina praeter, habes ?
 149 Adde meis comitem me dure sororibus, illis
 150 laedere quas etiam te voluisse pudet.
 151 Fer tamen impuram procul hoc a corpore dextram,
 152 Mens mea praesagit tristia fata tibi.

153 Non iterum gravibus lusus cedere flagellis,
 154 Ipse Deus vindex Caesare major erit.
 155 En tibi virginibus venio stipata ducentis,
 156 Tu modo ut occidas ipse redire jube.
 157 At te, sive lates, seu tutus in urbe moraris
 158 Non pudeat famulae scribere pauca tuae.
 159 Exercetne novas ignava potentia leges ?
 160 Milia quot capitum pestis acerba fugat ?
 161 Quis bonus extrema certavit athleta palaestra ?
 162 Ah ubi cum misera parvula matre soror ?
 163 An praetextato subolevit nulla parenti
 164 Gratia ? Quae dederam jussa vir anne facit ?
 165 Denique quae rerum species sit in urbe novarum,
 166 quam cuperem scripto certior esse tuo.
 167 Quod petimus ratio non est tibi justa negandi,
 168 advenit e vestro litore nauta frequens.
 169 Quod mea si sero tibi venit epistola, credes
 170 difficile exsulibus cedere quicquid agunt.
 171 Me si forte olim Deus ipse redire jubebit,
 172 omnia consilio prosequar acta tuo.
 173 Si tamen exilium reliquos mihi finiet annos,
 174 Ossa precor patrios nostra fer in cineres.

ISABETHA LUDOVICO.

H2_07 v.1 Si liceat, missam vellet perferre salutem
 2 Pannonis Hessiaco nupta puella viro.
 3 Tyrreno fama est vento tua vela morari
 4 heu nimium in curas ventus et unda meas.
 5 Longa mora est postquam Solymas petiturus abisti,
 6 at mihi, cum fugeres, ausus es ista loqui :
 7 nona reformatum cum Cynthia clauserit orbem
 8 vir tibi, si vivam, redditus uxor ero.
 9 Altera noctivagae coierunt cornua Phoebes,
 10 nec tua Tyrreno litore puppis abit.
 11 Illud erat potius mecum tibi tempus agendum,
 12 sed vetat heu sciri multa futura Deus.
 13 Cur tamen heu spretis regno patriaque domoque
 14 jussa paras dubio credere vela mari ?
 15 Litora nempe petens scopulosa Typhoidos orae,
 16 qua nigra fumantes ructuat Aetna globos.
 17 Inde per Aegaeum signantes Cycladas aequor
 18 ibis Aramaei ditia regna Syri.
 19 Quaeque Palaestini quondam tenuere coloni,
 20 arva nisi armata vix adeunda manu.
 21 Nunc gentis populata armis et Marte profanae,
 22 hei mihi cur opibus restituenda tuis.
 23 Mitteret armipotens opulentos Gallia Reges,
 24 his potius tellus ista tuenda fuit.
 25 Italia venissent, patria Hungarus arma tulisset,
 26 totaque vicino Graecia Marte potens.
 27 Solveret Hesperiiis pugnax Hispanus ab oris,
 28 noster in hoc ducat Caesar iturus opus.
 29 Forte tot ac tanti terrarum culmina Reges
 30 auxilio poterant non eguisse tuo.
 31 Misisses aliquos etiam, socia arma tulisses,

32 quantum erat in patria te senuisse tua.
33 Nunc petis aestivo flammantia litora Cancro,
34 lactis et aetherei nectare pasta favi.
35 Incluta praecipue Judaeo moenia sceptro,
36 sacra ubi victoris sunt monumenta Dei.
37 Relligio ista tua est et opus laudabile, qualem
38 in superos animum semper habere soles.
39 Quod si certus amor tam certus et ardor eundi est,
40 et nulla hunc animum res prohibere potest.
41 Non ego te patrias jubeo regnare per urbes
42 quo minus hoc sanctum perficiatur opus.
43 In tua te doleo remorari damna, tuisque
44 fortiter adversum navibus esse fretum.
45 Longa via est, pelagique immensa pericula vasti
46 multa feres terra taedia, multa mari.
47 Idque ego cum suprema dares mandata, querebar
48 arma per et gladios ista tropaea peti.
49 Arma per et gladios, utinamque haec sola, nec usquam
50 te veheret mediis pensile robur aquis.
51 Quid fles dicebas mea dulcis Elisabeth, ipsa
52 ad mea semianimis nomina paene fui.
53 Nescio quid metuat mea mens praesaga futuri,
54 o ego sim reducis cujus euntis eram.
55 Oscula et amplexus qui te decuere dedisti
56 in tua non venit pectora turpis amor.
57 Terga meis oculis tua, qua potui usque, sequebar,
58 quod lacrima durum praepediente fuit.
59 Jamque oculis ereptus eras, super aequora dixi,
60 sit tibi quem sequeris portus et aura deus.
61 Christe, salus rerum ventos da, frange procellas,
62 securam possit vir meus ire via.
63 Obtestata deos, ut tu, Ludovice, valeres,
64 desertae redii tecta sub alta domus.
65 Quid famulae ? Vir abest, solam juvat esse, sine illo,
66 paene fuit vita caelibe, dulce nihil.
67 Quid procerum collecta manus ? Quid quicquid in aula
68 spectatum tanti principis esse potest ?
69 Ite, cruces animi vos non patientis, honores,
70 more pii solam turturis esse juvat.
71 Donec abest juvenum flos pectora casta gerentum,
72 illi clausa mei gaudia cordis erunt.
73 Scilicet ipsa geram radians in vestibus aurum,
74 lorica nudis artibus ille ferat ?
75 Assyrio noster satietur odore capillus,
76 illius atque aestu flagret et imbre caput.
77 Ipsa colar princeps tuta sublimis in aula
78 vir meus in medio gurgite speret opem.
79 Tu melius qui fine cares, sine origine vivis,
80 tu famulae votis annue, Christe, tuae.
81 Quas dolor interea longus mihi crescet in horas,
82 dum vir dum conjunx, dum mihi frater abes.
83 Sive cibum capio, seu tradita pocula sumo,
84 pocula te referunt, te cibus ipse mihi.
85 Cura eadem vesper, dolor idem mane renascens.
86 Quamque die crucias tam mihi nocte subis.
87 Somnia te referunt variis nocturna figuris
88 et sibi non umquam constat imago tui.
89 Pallidus interdum occurris, nunc laetior adstas

90 nunc fugis, et verso lumine terga refers.
 91 Sive vident aliquae verum per somnia mentes,
 92 seu cadit in vanos cura diurna metus.
 93 Praeteritae timidam faciunt spectacula noctis,
 94 irrita cum ventis auferat ista Deus.
 95 Hic ubi Lanus aquis claram vagus abluit urbem
 96 frivola quae prisca nomina Martis habet.
 97 Monte sub aereo turbam spectare videbar.
 98 Nec mihi de turba cognitus ullus erat.
 99 Et tamen intereram, sed cum mirarer ubi essem
 100 respicio, mecum non erat ulla comes.
 101 Expavi voluique gradu rediisse citato
 102 ecce sed a longe es visus adesse mihi.
 103 Frigore constiterant artus, ita gaudia mentem
 104 sustulerant, mecum non satis ipsa fui.
 105 Dum propero ex oculis raptum sum visa maritum
 106 quaerere, rorantes ungue secante genas.
 107 Huc illuc retroque errans, et utroque cucurri,
 108 sed quo te videam non locus ullus erat.
 109 Sic inter Danaos Aeneidos umbra Creusae
 110 fertur anhelantem deseruisse virum.
 111 Tum primum indignos coepi laniare capillos,
 112 et vox cum lacrimis tristibus aegra fuit.
 113 "Hinc mihi, nescio quis, quid fles tua somnia ? dixit.
 114 Est aliquid lacrima quod graviore fleas."
 115 Plura locuturum somno fugiente reliqui,
 116 sumque fatigata reddita nocte mihi.
 117 Frigidus in toto manabat corpore sudor
 118 perfusae lacrimis immaduere genae.
 119 Maestus anhelabat sub pectore spiritus aegro,
 120 vis animae multum fessa dolentis erat.
 121 Visa resumebam tristi perterrita monstro,
 122 sed nihil ex illis quod placuisset erat.
 123 Heu, cur ignotae mihi visus in agmine turbae
 124 effugis amplexus labilis umbra meos ?
 125 Quid non militibus comitatus ut ante ministris
 126 appares oculis maesta figura meis ?
 127 Quid non visa fleam ? Potiusne ego vera dolebo ?
 128 O superi a nobis hoc prohibete malum.
 129 Omnia perpetiar duce te durissima, Christe,
 130 tutus ope ut possit vir meus esse tua.
 131 Incolumis patriae redeat, patriaque sepultus,
 132 et non ignota dormiat exsul humo.
 133 Hoc te tota rogat sollemnibus Hessia votis,
 134 plurimaeque accensas accipit ara faces.
 135 Per tua sancta quibus sanasti vulnera mundum,
 136 et per quam vita est nostra redempta, necem.
 137 Per sacrae veneranda crucis mysteria, per quae
 138 et requies nobis venit et alma salus.
 139 Te precor auxilium nostro fer, Christe, marito,
 140 possit ut hoc regredi quod modo coepit iter.
 141 At tu, cujus amor castus mea pectora movit,
 142 ut facis, in superos spem cape, salvus eris.
 143 Barbaricas etiam fraudes vitare memento,
 144 nescio quis miserae pendeat inde metus.
 145 Tu quia vir princeps isto non solus abibis,
 146 virtutis noli prodigus esse tuae.
 147 Pocula non sumas nisi qui tibi fuderit illa,

148 gustatim vero ter prius ore bibat.
 149 Barbara neve manus quod edas utcumque ministret,
 150 talia sed praesens virus habere puta.
 151 Lurida nobilibus miscent aconita venenis,
 152 crede merum gemma quod datur esse nocens.
 153 Victor adire voles Christi loca morte sacrata,
 154 forsan et Orebi culmina celsa jugi.
 155 Fida tibi comitum manus est et lecta juvenus,
 156 est aliquid docta fraude quod inde petas.
 157 Ex illis aliquem dominum lege, et esse saluta,
 158 teque fer exiguae sortis habere locum.
 159 Non pudeat propriis dominum servire ministris,
 160 et famulo famulas exhibuisse manus.
 161 Fecit idem rerum Deus infinita potestas,
 162 immundos pueris laverat ille pedes.
 163 Quod Christum decuit quem non decet ? Omnia vincet
 164 qui se fortunae composuisse potest.
 165 Saepe facit tempus rationem, saepe locorum
 166 condicio, et caecum quae dea lumen habet.
 167 Invenies aliquem qui, si sic fata juberent,
 168 haud dubiam pro te vellet obire necem.
 169 Veste potes vili loca per non tuta latere,
 170 in corpus veniat purpura nulla tuum.
 171 Omne quod audebis vellem prius omne timeres,
 172 convenit egregia cum ratione timor.
 173 Ipsa deum supplex, quamvis mora longa, precabor
 174 contingas fausto regna beata pede.
 175 Cum tamen attigeris nostrae monumenta salutis,
 176 me rogo ne fias immemor esse tuam.
 177 Conjugis o utinam dicas miserere relictae,
 178 qui tua salvifico sanguine membra rubes.
 179 Audiant ex animo licet hic et ubique precantes,
 180 ista sit ad nullas janua clausa preces.
 181 Par tamen est credi quia non sit mitior ullo,
 182 quam quo sanavit vulnera nostra, loco.
 183 Tu quoque non illic quicquam tibi crede negari,
 184 si dederis fasso, quas decet, ore preces.
 185 Desertae memor esto domus matrisque meique,
 186 quoque ego sum tecum pignore facta parens.
 187 Ipsa tuis etiam relevanda est Hessia votis,
 188 ante flagellati vulnera rubra Dei.
 189 Per mare sic habeant ventos tua vela secundos,
 190 dumque iter hinc properas, dumque redire voles.
 191 Sic Cypron atque Rhodon Cretaeaque litora praeter,
 192 puppis, eo redeas, unde soluta tua est.
 193 Hoc precor, haec longo mihi cura est unica voto,
 194 dii faciant pondus possit habere. Vale.

.../...

HELII EOBANI HESSI HEROIDUM EPISTOLARUM LIBER TERTIUS,
 QUI FABULOSAS CONTINET.

CATHARINA CHRISTO.

H3_01 v.1 Quam legis a sponsa tibi, Costide, littera venit,
 2 si liceat nollet mittere, ferre volet.
 3 Quisquis es ex illo placuisti tempore nobis,
 4 quo mihi legitime junctus es, ipsa tibi.
 5 Signa recognoscis quae pressit vincula gemmae,
 6 annulus in digitis haeserat iste tuis.
 7 Si qua potest igitur promissis credere amantum,
 8 pignore firmatam credimus esse fidem.
 9 Nec puto tu velles tua pignora falsa putari,
 10 sis licet, es certe doctus amare, puer.
 11 Nescio quae de te quidam mihi grandia narrat,
 12 esse Deum caeli virgine matre satum.
 13 Si Deus es miserae quantum mihi restat, ut idem
 14 et Deus et sponsus conciliare mihi ?
 15 Vel mihi fallaces dictastis inania somni,
 16 vel Deus indignam Costida summus amat.
 17 Gratulor, at quoniam non sum de plebe lavata,
 18 incertam visis suspicor esse fidem.
 19 Tu mihi, Christe, ferunt Christo tibi nomen Iesu,
 20 praestare antiquos diceris ante deos.
 21 Idque ego dum studeo cognoscere clarius, alter
 22 fluxit, et in cursu tertius annus erat.
 23 Interea Costus genitor fatalia solvit
 24 munera, defuncto regna parente vacant.
 25 Urbis Alexandri sceptrum latura reservor,
 26 infelix aliqua prole futura parens.
 27 Ipsa celebratas, muliebria nomina, laudes
 28 mallem servata virginitate sequi.
 29 Est aliquid claras Heroidas inter haberi,
 30 quae potior stabili fama pudore venit.
 31 Jamque ego sum certe maturo nubilis aevo,
 32 plena quidem vitae sunt tria lustra meae.
 33 Sollicitant regni proceres, nec me unus et alter
 34 turba petunt castis insidiosa proci.
 35 Et mihi dii patrii incipiunt sordescere, et istis
 36 nescio quid nebulis mens mea majus avet.
 37 Quid faciam ? Stat celsa altis innixa columnis
 38 regia, sunt regnis oppida multa meis.
 39 Ibit in haec cultor falsorum quisque deorum
 40 et feret e nostro pignora cara sinu.
 41 Tu melius, tu namque potes, tibi nostra dicata est
 42 virginitas, de te si modo vera fides.
 43 Unde sit haec nostrae de te fiducia menti
 44 quod non ignoras, forte referre juvat.
 45 Hic ubi Pellaeo jacet urbs fundata tyranno,
 46 et piger illustri stat Mareotis aqua.
 47 Est via declivi vallem complexa recessu,
 48 intus eremicola stat casa facta manu.
 49 Antra tenet senio quidam venerabilis albo,

50 ille mihi de te saepe magister erat.
 51 Qua semel, ut soleo, cum nuper valle sederem,
 52 fons prope erat, dulcem praebuit umbra locum.
 53 Venit et assedit longo vir callidus aevo,
 54 florales comitum turba legebat opes.
 55 Qui simul ut sedit, quid ait tua tempora perdis ?
 56 O immortalis nubere digna deo.
 57 Tam tenerum incesta florem maculare juvena
 58 non decet, est alio dignus honore frui.
 59 Ah, fuge mortalis thalami commercia, Christus
 60 quem docui, regnis plus valet ille tuis.
 61 Non te regna tui moveant ditissima Nili,
 62 sceptras geras alio nobiliora loco.
 63 Utque facis falsosque Joves mutasque columnas,
 64 linque Deumque canem, linque Deumque bovem.
 65 Quaere Deum caeli dominumque decemplicis orbis,
 66 jam tibi divorum regia tota favet.
 67 Est amor est, inquam, laudato nubere Christo,
 68 spes nova, mens alias nesciet ista faces.
 69 At tua, me miseram, promissa ingentia terrent,
 70 heu, quantum est summo posse placere Deo.
 71 Me quoque quam laudas, mater non passa maritum,
 72 forsitan indignam nolit habere nurum.
 73 Denique quo studio domino placuisse laborem ?
 74 Tam longe absentis complacuisse grave est.
 75 Ut placeam, quis me placito conjunget Iesu ?
 76 Quis mihi conjugii sponsor et obses erit ?
 77 Ut cupiam jungi virgo cum virgine Christo,
 78 quis patrio tutam tollet ab orbe Deus ?
 79 Qualibus ille autem dictis incenderit, et quot
 80 egerit hunc animum, dicere longa mora est.
 81 Ipsa senem linquens meditabar sola quis esses,
 82 cujus flagraret pectus amore meum.
 83 Ignotum potui quem sic ardentem amare,
 84 quo fluit hic animus sicut ab igne chalybs.
 85 Tam subito exsanguis populata est flamma medullas,
 86 non prius in nobis tam gravis ardor erat.
 87 Quisquis es, o animae lux unica et ultima nostrae,
 88 ne rogo te nobis, ut videare, nega.
 89 Multa precaturam levis et sine pondere somnus,
 90 corpus in herbosa ponere jussit humo.
 91 Utque sopor tremulos primum delusit ocellos,
 92 talia sunt menti somnia visa meae.
 93 Campus erat viridi circumsitus undique silva,
 94 flore renidebat multicolore solum.
 95 Dulcia spirantes errabam sola per herbas,
 96 Puniceis texens parvula sarta rosis.
 97 Hic ego te vidi puerum cum matre puella,
 98 non mea veraci somnia teste carent.
 99 Virgo erat alba comas auro rutilante coactas,
 100 formosum nivea corpus amicta toga.
 101 Virga erat in dextra, te brachia laeva gerebant,
 102 brachia Sithonia candidiora nive.
 103 Hic neque Naiadum neque rebar Hamadryadarum,
 104 de turpi matrem quamlibet esse Deo.
 105 Vidi aliquid majus sensique errore profano,
 106 nescio quem tacita mente professa Deum.
 107 Jam prope constiterat cum te ridente parumper,

108 verba mihi mater visa erat ista loqui.
109 Salve flore alio mecum latura coronam,
110 salve iterum nato Costis amata meo.
111 Accipe fine novum carituri pignus amoris,
112 gemma sub articulo luceat ista tuo."
113 Dixerat, e digitis aurum quod forte gerebas,
114 torsisti digitis in mea membra tuis.
115 Jam puero major, jam matre decentior ipsa,
116 jam tua majestas visa stupenda fuit.
117 Erubui, vocem pudor abstulit, attamen ignem
118 in vultu tacitum signa fatentis erant.
119 Lumina demisi cum tu, puer optime, rerum,
120 excipis e manibus lilia texta meis.
121 Hoc mihi devotum spondes Catharina pudorem,
122 pignus ut ardoris servet uterque sui.
123 Vix tantum, tua sum, castos tibi dedimus annos,
124 sim tua, vix potui dicere, sponsa precor.
125 Lene videbaris subridens tangere dextram,
126 e somno attactu sum relevata tuo.
127 Ecce sed in digito gemmam qui proximus imo est,
128 o non de patrio somnia visa Deo.
129 Serta prius collecta manu cecidisse putabam,
130 sed recolo nostri pignus amoris erant.
131 Caelesti impositam dum gemmam exosculor auro,
132 Est etiam lacrimis humida facta meis.
133 Quamque ego te vidi veracis imagine somni,
134 tam praesens vigili pectore cura manes,
135 laetitia expressit lacrimas in amore suetas,
136 jam primum didici quid fleat omnis amans.
137 Ite leves alio miserorum crimen, amores,
138 nostra agit in fletus lumina castus amor.
139 Vix longa revocata mora scrutabar ubi essem,
140 nullus erat, comites advoco, sola fui.
141 Lumina ad aerium relevo vigilantia solem,
142 lumine sol numquam lucidiore fuit.
143 Quacumque aspicio melior natura refulget,
144 est aliquid verum rebus adesse Deum :
145 blanda susurrantes moverunt murmura silvae,
146 maesta prius vivo germine fragrat humus.
147 Tam dulcis tenuem perflavit spiritus auram,
148 qualis in aetherea dicitur esse domo.
149 Quae prius, aspicio vicini viscera fontis,
150 nobile caelestis ducere nectar aquae.
151 Argutae viridi vernant in fronde volucres,
152 illo malueram posse manere loco.
153 Tota creatorem laudabat gratia caelo :
154 virginis ad lacrimas non renuisse trahi.
155 Consurgo comitesque voco clamore relictas,
156 multa repercussum reddidit aura sonum.
157 Haec quoque desponsi revocanti nomen Iesu,
158 quam potuit resona voce ferebat opem.
159 Huc illucque vagor per opacae devia vallis,
160 si loca te referant proxima forte mihi
161 spes animum frustrata leves ubi fugit in auras,
162 hei mihi quam tardo sidere tempus abit.
163 Ille tamen per quem nupsi tibi, cultor eremi,
164 ille levat sponsae tempora maesta tuae.
165 Ille etiam nuper dubitanti scribere, dixit

166 scribe, feram domino carmina scripta tuo.
167 Gaudebam reperisse viam qua scribere possem,
168 protinus est manibus sumpta tabella meis.
169 Et quae nunc patria cernis confusa papyro,
170 sunt mihi furtiva carmina facta mora.
171 Saepe quidem repeto nostri loca conscia amoris,
172 mittitur ex illis littera nostra tibi.
173 Aula vacat requie, dolor est meus ista videre,
174 quae patria fiunt relligione domi.
175 Sumebam calamum scriptura quid, impia nutrix,
176 quid facit haec, facta est pallida, dixit, amat.
177 Obstupui subitoque stylum cum voce repressi,
178 ne causam officii quaereret illa mei.
179 Mirantur famulae solitos me ponere cultus,
180 cur mihi nec formae cura sit ulla meae.
181 Si qua placere volet mundo, se vestibus ornet,
182 forma creatori non placet ista Deo.
183 Mens formosa Deum caeli se cogit amare,
184 haec manet, est ingens forma secunda malum.
185 Haec ut cuncta quidem tu conspicias, et tua numquam
186 majestas falli qualibet arte potest.
187 Heu tamen errori cedunt haec regna vetusto,
188 concidit ad falsos victima multa Joves.
189 Impius instaurat veteres Maxentius aras,
190 Caesar enim Nili regna Tyrannus habet.
191 Sacra jubet fieri, divum delubra frequentant,
192 mactandosque trahunt credula turba boves.
193 Atria mugitu resonant, ferit aethera clamor,
194 et tuba terribiles excitat unca sonos.
195 Omnia festivis lucent altaria flammis,
196 sordidaque effuso sanguine squallet humus.
197 Ipse genu flexo supplex procumbit ad aras,
198 hunc sequitur quisquis numina falsa colit.
199 Abnegat hoc aliquis doctus te, Christe, fateri,
200 ob rectam saevo concidit ense fidem.
201 Qualia crudelis cogat tormenta Tyrannus,
202 turba docet miseram plurima passa necem.
203 Vidimus injectas flammis ardere puellas,
204 nudaque pinnata corpora fuste quati.
205 Vidimus et ferro teretes abscindere mammas,
206 affligi vinclis carceribusque premi.
207 Pascit inhumanus nostrum canis iste cruorem,
208 enormis saturum non sinit esse fames.
209 Aspicias haec patiente oculo, sed lenta malignis,
210 et sine jactura tardior ira tua est.
211 Quam pulchrum, rex magne, tuo cecidisse sub hoste est,
212 munere emi caelum non meliore potest.
213 Ista triumphalem pariunt certamina palmam,
214 pars utinam tantae sim quota laudis ego.
215 Ire juvat verbisque ferum terrere latronem,
216 quid furit in plebem perfidus iste tuam ?
217 Ibimus, est animus, non me tormenta movebunt
218 dira, nec in poenae nomina mille cruces.
219 Devenerata deos lapides idola vocabo,
220 ipse tuae praesens virginis ora move.
221 Argumenta, dolos, et frivola dicta refellam,
222 major erit per me te duce recta fides.
223 Traxerit in poenam, mors gloria nostra futura est

224 et potero forsā fortiter ultra mori.
 225 Tunc mihi si dabitur pro te succumbere, restant,
 226 post quae conjungar tempora pauca tibi.
 227 Tu dabis hoc aliqua requiescere corpus in urna,
 228 hoc tamen in posito marmore carmen erit.
 229 Costis in hoc tumulto sum condita, viva tonantis
 230 nupta, sed aeterna virginitate fui.
 231 Impius immeritam Maxentius ense peremit,
 232 hic cinis est, sponsae cetera sponsus habet.

THAIS PAPHNUTIO.

H3_02 v.1 Quam tibi debueram verbis mandare salutem
 2 hanc te pollicitum sis memor esse mihi.
 3 Si qua liturarum tamen hic dispuncta videbis,
 4 pars quota de lacrimis illa fuere meis
 5 carcere, sancte pater, quo sum tibi jussa reponi,
 6 sic merui, sic sum digna manere, premor.
 7 Quod legis ex illo Paphnuti mittitur antro,
 8 deliciae certe est nunc locus ille meae.
 9 O utinam primis mea sic latuisset ab annis,
 10 quae nunc est misero crimine vita nocens ;
 11 vel mihi Parcarum subeunti jura sororum,
 12 haesissent primo stamina rupta colo.
 13 Non ego per vetitum patratae conscia culpae
 14 flerem, successu posse carere preces.
 15 Tanta anima infelix peccati mole gravatur,
 16 ut dubitem offensum paene rogare Deum.
 17 Namque quid esse putas Stygia semel obruta nocte
 18 lumina, nunc aliquam velle videre diem ?
 19 Sed tamen amissum per te sperare favorem,
 20 praescriptoque Deum carmine jussa rogo.
 21 Quod tamen indigno mihi non licet ore profari,
 22 vix audet nomen littera picta loqui.
 23 Antrum est ut nosti foedum squalore situque,
 24 vix quota longinquae portio lucis adit.
 25 Difficile exortum possis cognoscere Solem,
 26 tam capit admissum parva fenestra diem.
 27 Hac supplex seu mane rubet seu vesper anhelat,
 28 emeditor jusso quas licet ore preces.
 29 Prona caput, prostrata genu, dispassa lacertos
 30 quem mihi fas non est ore referre precor
 31 respice me miseram qui me qui cuncta creasti,
 32 hoc nisi non audet lingua profana loqui.
 33 Nec mihi tu, memini, plus hoc audere dedisti,
 34 nec mea spurcities plus meruisse potest.
 35 Lingua Deum nescit viciis maculata fateri,
 36 sacra profanato non decet ore loqui.
 37 Atque utinam ut fasso mihi non licet ore precari,
 38 sic precibus faveat pectoris ipse mei.
 39 Quod nisi tu dederis venerando proxime caelo,
 40 nescio an haec poterint pondus habere preces.
 41 Tu potes irati numen placare tonantis,
 42 neglectam miseris pandere docte viam.
 43 Nunc mihi spes in te pater illa novissima restat,
 44 qua si destituar vivere crimen erit.

45 Non ego sufficio pro tot deformibus actis,
 46 non, licet in poenas corpora mille feram.
 47 Adde quod haec minor est quam me meruisse putarim
 48 istud adhuc poena vindice pectus eget.
 49 Cur ego non projecta feris ? Non obruta saxis ?
 50 Cur non sum turpi nuda revincta pyra ?
 51 In me desinitis crudeles esse Tyranni ?
 52 In me tormenti deficit omne genus ?
 53 Felices, quibus ante diem cecidisse, puellae,
 54 et vera licuit pro pietate mori.
 55 Nunc ego Margaridos cuperem mihi fata, velimque,
 56 per mala Niliacae Costidis esse comes.
 57 Quis dabit ut saevo Bythinidos ense puellae,
 58 aut quali cecidit Lucia morte cadam ?
 59 Sed neque causa mihi est fidei suscepta tuendae,
 60 nec veteres dixi crimen habere deos.
 61 Vota Deo sanctique undis lustrata lavacri,
 62 heu, duce sub proprio perfida miles eram.
 63 Et ducis alterius non sum data signa secuta,
 64 et graviter laesi sub quibus ipsa fui.
 65 Nunc dolor est hosti tantum favisse, nec illum
 66 cum potui, celeri deseruisse fuga.
 67 Filia lucis eram, sed lucem ingrata reliqui,
 68 non intellectis mersa voraginibus.
 69 Atque adeo longum per opacae devia noctis
 70 processu, infernum jam prope limen eram.
 71 Jam super infaustae puteum tollebar Abyssi,
 72 infelix Stygio praeda futura cani.
 73 Actum erat, interii, cum tu, pater optime, victam
 74 excipis, et pulso fortiter hoste levas.
 75 Et licet ingratum est sceleris meminisse pudendi,
 76 causa in eo tamen est cur meminisse voles.
 77 Plus solito vitiis virtus collata refulget,
 78 sicut in obscaeno splendida gemma luto.
 79 Me pudeat sceleris, quoniam scelus omne pudendum est
 80 at sua virtuti est gloria danda tuae.
 81 Tempus erat medium tenuit Sol aureus orbem,
 82 fecerat aequales utraque meta vias.
 83 Indixere sacri festiva silentia mystae,
 84 tempore quo debent non nisi sacra coli.
 85 Sola fui formae studiis intenta colendae,
 86 mirantes vultu fallere docta procos.
 87 Cumque frui cuperem solito foedissima lucro,
 88 et fieret voti copia nulla mei.
 89 Ecce venit senio quidam venerabilis albo,
 90 hoc miserae nondum tempore notus eras.
 91 Vestis erat non apta seni quam forte gerebas,
 92 quam poterat credi non placuisse tibi.
 93 Quae tum causa fuit tetricum posuisse cucullum ?
 94 Quid loca Christicolae non adeunda subis ?
 95 Errantes revocare animas doctissime laus est
 96 magna, tuis quod sum femina capta dolis.
 97 Scis pater ut tamquam suspensus in oscula dixti,
 98 ut possim tecum quolibet esse loco.
 99 Ah pudet et dolor est meminisse, petentibus illud,
 100 femina me numquam mollior ulla fuit.
 101 Ad loca deductus rebus satis apta nefandis,
 102 ipse rogas furtis commodiora peti.

103 Interius conclave fuit placuisse putabam,
 104 plus nimio visum est lucis habere tibi.
 105 In loca deduxi minimae vix pervia luci,
 106 nec satis haec votis clausa fuere tuis.
 107 Quae tua nequitia est vel quis pudor improbe adulter ?
 108 Quis timor hic solus nos videt esse Deus ?
 109 Hic tu si quod ais verum est, quae tuta petemus ?
 110 Hunc nihil est, inquam, quod latuisse queat.
 111 "Ergo age, dicebas, quam desipienter aberras ?
 112 Quod pudet ante homines non pudet ante Deum ?
 113 Esse nocens superis, mundo sine labe videri,
 114 sic misera es, sic te decipit hostis amas.
 115 Non ego te veni turpi fruiturus amore,
 116 sed tibi ut ostendam teque tuumque nefas.
 117 Heu misera obscaeno maculata libidinis aestu,
 118 et nimium putri sordida facta luto.
 119 Erras, caelestem non haec via ducit in aulam,
 120 Quo ruis ? Infernam corruis ante domum.
 121 Siste referque pedem mortemque evade propinquam,
 122 me sequere ad vitam dux tibi fidus ero."
 123 Finieras, fassae insolitus pudor ora notavit,
 124 factaque sum verum lumen avara sequi.
 125 Non secus ac cupidus ruit in certamina miles,
 126 cum fragor et rauca classica voce sonant.
 127 Venit et abjecto reverentia nata pudori,
 128 heu, nimium sero lumine visa mihi.
 129 Exciderat vitae mihi consuetudo prioris,
 130 spretaque sed nuper non odiosa Venus.
 131 Hoc mihi tu poteras lingua praestare diserta
 132 credibile est verbis numen inesse tuis.
 133 Quae mihi per longae tot devia noctis eunti,
 134 clausa erat, agnosci te duce coepta via est.
 135 Et jam per tenebras nova lux apparuit, ite
 136 insidiatores, hostis, abite doli.
 137 Ite leves animi vos dedignantis amores,
 138 supplicium, laquei, vincla, venena, cruces.
 139 Heu, male pro vobis juvenile expendimus aevum,
 140 nunc alia est nostra meta terenda rota.
 141 Ipse aderas tunc cum Christi nova jura professa,
 142 pauperibus miseras evacuarer opes.
 143 Quas ut ab igne novo mentem succensa calebam,
 144 ausa fui in medio paene cremare foro.
 145 Quae quia saepe duces in gaudia vana fuerunt,
 146 tristitiae comites fas erat esse meae.
 147 Utque frequens spectatum aderat Thebaea juvenus,
 148 orsa ita sum populo, testis es, ipse loqui.
 149 O quibus aut umquam placui, aut quos nuper amavi,
 150 causaque nequitiae turba comesque meae.
 151 Aspiciate haec nostrumque oculis haurite dolorem,
 152 discite et hac vestram Thaida parte sequi.
 153 Vestra fui, vobis placui, vos ipsa colebam,
 154 et placuisse grave est et coluisse nocet.
 155 Quae superest igitur congesta libidine merces,
 156 amplius hic curae debet habere nihil.
 157 Ipsa nocens veniam qualem docet iste precabor.
 158 Per quem de venia spes bona facta mihi est.
 159 Munde, vale, nimium tecum est infide moratum,
 160 causaque nequitiae turba comesque meae.

161 Illic de populo quosdam movisse videbar,
 162 et multos sceleris paenituisse liquet.
 163 Atque utinam ex illis aliquis sua crimina fassus,
 164 Thaidos offensum sit memor ante Deum.
 165 Forte erit e multis cui faverit ille roganti,
 166 et dicat miserans haec quoque nostra fuit.
 167 Tu quoque cui nostrae commissa est cura salutis,
 168 quam potes his miserae casibus affer opem.
 169 Longa mora est postquam latebrosae inclusa cavernae
 170 non potui vultus Phoebae videre tuos.
 171 Frugiferos aestas jam tertia colligit ignes,
 172 an, rogo, adhuc nulla est gratia parta mihi ?
 173 An gravis offensi nondum cadit ira tonantis ?
 174 Heu, quantum est paucos emeruisse dies.
 175 Spes tamen est major vitae quam culpa peractae,
 176 spes maneat, gravior nulla futura mora est.
 177 Invisum tempus constans patientia vincet,
 178 donec erit moti mollior ira Dei.
 179 Tu nostro veniam supplex pro crimine posce,
 180 ipsa feram jusso quas licet ore preces.

CUNEGUNDIS HENRICHIO.

H3_03 v.1 Quae tibi Teutonico non facta nomismate venit
 2 fungitur officio littera nostra novo.
 3 Quid tibi cum Latiis, ne quaeras barbara musis
 4 tristia cum scribam questibus apta lyra est.
 5 Sive quod est numeris et vis et gratia major,
 6 vixque rudes animos barbara verba movent.
 7 Nec puto tu nescis quia me Rhamnusia caeco,
 8 vel potius nullo lumine, diva videt.
 9 Visa diu felix et Caesare tuta marito,
 10 fluctibus, heu, quantis turbinibusque premor.
 11 Cum bene sperarem cecidi sine crimine, meque
 12 hostis ab excelso trusit ad ima loco.
 13 Nec tamen hanc sensi misere prostrata ruinam,
 14 o miseri qui non, quo periire, vident.
 15 Ut modo conciderim casum nescire dolendum est,
 16 non venit ex causa nostra querela levi.
 17 Nec meus est lacrimis dolor exsaturabilis ullis,
 18 qui sine peccato plectitur ille dolet.
 19 Ante mihi o utinam rupissent stamina Parcae,
 20 quam potui infelix displicuisse tibi.
 21 Aut ego confuso sum nata sub ordine fatum,
 22 aut agit in poenas vindicis ira Dei.
 23 Parce, pater superum, merui graviora, sed illud
 24 me nihil implicitam, quo rea dicor, habet.
 25 Arguit immeritam violati fama pudoris,
 26 indicium famae littera testis habet.
 27 Quae simul ac venit notis mihi cognita signis,
 28 verba modis uno plus tribus ista tulit.
 29 Prodigia pollicitis, verbis contraria rebus,
 30 et tibi credentem fallere docta virum.
 31 Qui mihi devoto fruitur Cunegundis amore,
 32 saepe est ex thalamo visus abire tuo.
 33 Haec ubi legissem collapsis frigida membris,

34 vix etiam famula sum revocata manu.
 35 Mane erat et primo radiabant Sole fenestrae,
 36 jamque novum querulae concinuistis aves.
 37 Rursus ut exieram thalamo prostrata recumbo,
 38 sicut agonales jam subitura rogos.
 39 Flebile ad exortum relevo caput anxia Solem :
 40 "Solne iterum flammas laeta videbo tuas ?
 41 Vocibus umbrifera vernate in fronde volucres,
 42 laetitiae est prorsus causa peracta meae."
 43 Nunc iterum relego lacrimis tua scripta profusis,
 44 o vir non precibus dexter, ut ante, meis.
 45 Quis dabit unde querar pro re satis ? Aut ubi plorem ?
 46 Maestitiae consors quis volet esse meae ?
 47 Fama nocens nobis occlusit Caesaris aures,
 48 offensum metuit regia tota ducem.
 49 Ne tamen, ut taceam, scelus admisisse putemur,
 50 tristis ad invitum littera vade virum.
 51 Ut tamen ista legas oculis patientibus oro,
 52 dempseris a lacrimis milia multa meis.
 53 Ante ego, quae dicunt peritura elementa putaram,
 54 mersuras orbem Deucalionis aquas.
 55 Quam tua me miseram mens dedignata fuisset,
 56 ille sapit quisquis tuta timere potest.
 57 O vir et o frater mihi nomine cedis utroque,
 58 quis mihi ut odisses tam ferus hostis erat ?
 59 Prodigia pollicitis cur sum tibi dicta ? Quid hoc est
 60 me quod ais aliquem fallere posse virum ?
 61 Cur tibi suspectus pudor est meus ? An tibi adulter
 62 saepe est e thalamo visus abire meo ?
 63 Adserere ille potest Solem non posse videri,
 64 qui tibi commenti conditor hujus erat.
 65 Vana vel incautis oculis illusit imago,
 66 vel voluit mendax lingua nocere mihi.
 67 Et tibi devoti stat gloria salva pudoris,
 68 nullaque adhuc novit crimina noster amor.
 69 Teste opus est testem te, Christe, appello vocatum,
 70 pondera tu veri testis et instar habes.
 71 Forsitan ipse alios testes, Henriche, requiris,
 72 ane putas ipsum fallere posse Deum ?
 73 Per superos dices facile est jurare profanis
 74 illis, si qua volet fallere, tuta potest.
 75 Ipsa velim potius multis perjura videri,
 76 quam super hoc uni displicuisse Deo.
 77 At tibi servatum quem nunc male credis amorem,
 78 da veniam, verbis aemula facta probent.
 79 Ut male per superos tutum est jurare profanis,
 80 sic vero gaudet testis adesse Deus.
 81 Sanguine convenient nobis ab utroque propinqui
 82 praeterea quorum vita probata tibi est.
 83 Regia ubi angusto protenditur aula recessu,
 84 effigiem Mariae continet ara vetus.
 85 Casta Dei mater castis favet, illa pudori,
 86 auctor ut est nostro, sic bona testis erit.
 87 Grande pavementum candenti sternere ferro,
 88 quosque tibi fidos noris adesse jube.
 89 Ipsa Deo fidens, aequum favet ille petenti,
 90 contingam nudo torrida strata pede.
 91 Ardeat incestae teneras vis ignea plantas,

92 veridico castam servet ab igne Deus.
93 Qui solo potuit verbo de virgine nasci,
94 te dabit ostendi virginis esse virum.
95 Quod precor hoc aliquis mihi te permittere forsan,
96 non sinet, et fraudem callida, dicet, agit.
97 Care Deo voces non audi Caesar iniquas,
98 judicio livor tristis obesse solet.
99 Hunc animum fecit nobis mens conscia recti,
100 consilii non est Phasias ulla mei.
101 Nescio quae dicunt magicae ludibria sordis,
102 rustica qua semper simplicitate fui.
103 Si videor temere superos tentare, fatebor
104 quam quae deficeret spes mihi major erat.
105 Adde quod aut ista volo suspicione levare,
106 aut tibi non vivae conjugis esse loco.
107 Non quia vana levis metuum convicia vulgi,
108 sed tibi quod potui displicuisse dolet.
109 Ergo nec aspicias laetam velut ante solebas,
110 ni sim ignominiam fortiter ultra meam.
111 Ulcisci facile est saltem permittite quod opto,
112 materia audacem spes facit esse nova.
113 Longa mora est postquam doleo sine teste, diesque
114 ingrato plures lumine tristis ago.
115 Conscia mens animum stimulat de crimine falso,
116 et male sub tanto pondere victa jacet.
117 Omnia quae potui, Christo duce, tristia ferre,
118 hoc uno videor mortua paene malo.
119 Quae mihi fors miserae si non inimica fuisset,
120 staret adhuc animi gloria plena mei.
121 Frangor et heu quantis jactor confusa procellis,
122 quod videam est caelum praeter aquasque nihil.
123 Sola quid immenso faciam, et nova miles in alto ?
124 Ante ratis numquam naufraga nostra fuit.
125 Christe, doce, nam tu solacia tristibus affers,
126 litora quae quassae sunt propiora rati.
127 Tu potes et tuto dubitantem sistere portu,
128 raptaque ab insanis vela referre Notis.
129 Rapta precor nostri bona nomina redde pudoris,
130 immeritam videat vir meus ista pati.
131 Virgo viro data, virgo viro cum virgine vivo,
132 quamque ego nota mihi tam vir et ipse fuit.
133 Vidit et indoluit vetus ille et perfidus hostis,
134 qua potius duci suspicione licet.
135 Simplicis, heu, pulchrum vitae turbavit honorem,
136 cui capto tantum nomine praeda fui.
137 Corpora non potuit, famam incestavit adulter,
138 hoc nisi nil nostri perdit livor habes.
139 Quem tibi promisi, Caesar, sine labe futurum,
140 jus habet in nostro perfida lingua toro.
141 Hanc praeter non sunt in eo vestigia, quamvis
142 sit proba moechari quam volet illa potest.
143 At magis offensum ne reddat epistola forsan,
144 suprema haec animi summa rogantis erit.
145 Pondera conjugii nostris precor adde querelis,
146 et da servatam posse docere fidem.

BARBARA EUSEBIO.

H3_04 v.1 Si qua nefas Graiae sunt hic, ut plurima, linguae,
 2 conveniens dominae littera nomen habet.
 3 Quae tamen Eusebium nisi prima in fronte tulisset,
 4 nolles ignota scripta videre manu.
 5 Aspice, si qua potes praegrandibus otia curis
 6 furari, officio res eget ista brevi.
 7 Barbara Bythino sata sanguine, patre Tyranno,
 8 hac tibi sim lecta nota salute precor.
 9 Esse velim quare ne sit tibi scire molestum,
 10 propositi non est causa pudenda mei.
 11 Magnus es, ut fama est, lota de gente sacerdos,
 12 diceris et verum posse docere Deum.
 13 Gentiles nihil esse Deos patriosque penates,
 14 sollicitor multos sed sine teste dies.
 15 Et quantum natura sinit rudis ire per altum,
 16 tot membris unum suspicor esse caput.
 17 Non tamen agnosco patriis infusa tenebris,
 18 quae velut e nebula lumina nostra vident.
 19 Ad te nostra igitur properavit epistola supplex,
 20 his rebus miserae quod potes esse velis.
 21 Quoque modo id fiat, qua sim ratione docenda,
 22 si tamen, ut debes velle docere, voles.
 23 Unus et hic animo mihi compatiente fidelis
 24 ostendet, per quem carmina nostra legis.
 25 Sed ne forte putes de me tibi falsa referri
 26 quod de me nolles credere crede mihi.
 27 Credenti facile est rescribere pauca puellae,
 28 sum Graias, quamvis barbara, docta notas.
 29 Me pater exactis tribus haec ad tempora lustris,
 30 sollicite ingenuas quaerere jussit opes.
 31 Quamvis ergo mei vernent juveniliter anni,
 32 non me, cui scribas, non satis esse puta.
 33 Sunt etenim quae me suspensam saepe morantur,
 34 plurima de vestris scripta voluminibus.
 35 Et quia tam firma niti ratione videntur,
 36 plus etiam patria religione placent.
 37 Quae tamen ut vestri texerunt mystica vates,
 38 mens mea quid claudant scire profana nequit.
 39 Scripseris ergo brevi quae nos nescire dolemus,
 40 forte tuo poteris complacuisse Deo.
 41 Quis Deus existens ante omnia saecula solus,
 42 quale apud hunc verbum rere fuisse Deum ?
 43 Omnia quis fecit ? Sine quo nihil ? Aut quid in illo
 44 vita est ? Quam lucem nox capere ulla nequit ?
 45 Quis testis de luce fuit ? Quae illuminat omnem
 46 lux hominem ? Quis non notus in orbe fuit ?
 47 Quem non exceperere sui ? Quod denique verbum
 48 fit caro ? De verbo quomodo facta caro est ?
 49 Ardua scripta magis quam quae mediocria captent
 50 ingenia, o hominem qui capere illa potest.
 51 Vana per haec nostrae fiunt ludibria chartae,
 52 heu mihi quas larvas carmina nostra sonant.
 53 Stupra, doli, fraudes, polluta libidine sacra,
 54 si faciunt divos patria terra sapis.
 55 Sed puto de superis haec est sentire nefandum,
 56 commendant vestrum sobria scripta Deum.

57 Sicut enim plures male res capit una magistros,
58 commodius plures qui regat unus erit.
59 Et gravis est uni divisa potentia regno,
60 sume Deos plures munde jacebis iners.
61 Unus et hic trinus solo regit omnia nutu,
62 littera de vestra plurima lege docet.
63 Hunc unum trinumque animus cognoscere gestit,
64 fac nequeam per te non didicisse queri.
65 Hic quoque sunt nostrae quaedam sublimia menti,
66 quae nisi tu doceas unde petemus opem ?
67 Quis pater ingenitus ? Quis filius ? Et quis ab illis,
68 procedit patrio spiritus igne potens ?
69 Qui credam potuisse aliquem de virgine nasci,
70 ni per te miserae luceat ista fides ?
71 Non haec Oleniae nutritum lacte capellae,
72 de superis aliquem delituisse docent.
73 Ista nec in varias labentem Protea formas,
74 membra nec hic patrium parturit orba femur.
75 Nulla hic prolifico de vertice nata virago est,
76 non fert hic aliquam lubrica concha deam.
77 Nulla hic sunt veterum deliramenta deorum,
78 o sacram multa relligione fidem.
79 Quaeris ubi intuear legis mysteria vestrae,
80 in patria, mirum, discimus ista domo.
81 Est vetus hic, omnes, quibus est, neglecta per annos
82 condita de vestra bibliotheca fide.
83 Hanc nisi deridens nemo conspexit, ab illo
84 quo primum in patrias tempore venit opes.
85 Hanc paulo ante aliquis Rex Pontica scepra gubernans
86 attulit affines depopulatus agros.
87 Hanc quoties licuit secuta per otia furtim,
88 intrabam studiis officiosa novis.
89 Utque sumus vetiti cupidissima turba puellae,
90 divinum rebar quo prohiberer opus.
91 Sed neque falsa fui quamvis muliebriter egi,
92 et juvat a vetito non potuisse trahi.
93 Illic Hebraeos, divina poemata, vates
94 vidimus et famae nuperioris opus.
95 Vidimus antiquo descripta oracula Mosi,
96 vidimus et quicquid lex modo vestra probat.
97 Denique quicquid erat sic nos vidisse fatemur,
98 lumina ceu Solem nostra videre solent.
99 Per nebulas ut tecta videt longinqua viator,
100 ut videt in tremula navita lumen aqua.
101 Sic ego mortiferae nondum eruta noctis ab umbra,
102 quo videam miserae lumen abesse queror.
103 Cur aliena petam patriis exercita sacris,
104 nescio, si quaeras, sed tamen ista peto.
105 Nemo mihi est vestra de relligione magister,
106 ni mihi dicatur littera muta loqui.
107 Sic est, illa fuit mihi causa cupidinis hujus,
108 prima mihi invisum fecerat illa Jovem.
109 Forsan et ille potest timidae favisse puellae,
110 quem trinum nobis littera multa refert.
111 Et nisi credentem vatum chorus ille fefellit,
112 hoc est in toto mitius orbe nihil.
113 Adsit et ut totiens avida mihi mente vocatur,
114 sic se agnoscendum praebeat ipse mihi.

115 Tu quoque cui nostrae dictant mandata Camenae,
 116 pectora consiliis instrue nostra tuis.
 117 Quid faciam per quod de sordibus eruar istis,
 118 heu, quantum cultus displicet iste mihi.
 119 Jamdudum libuit patrios exire penates,
 120 sed timidam custos qui prohiberet erat.
 121 Nunc tamen o tenera crudelem in virgine patrem,
 122 heu, nimium duro carcere clausa premor.
 123 Utque diu latuit, quam fertur Abantius heros
 124 ne pareret forti praepediisse sera.
 125 Sic ego marmorea in turri conclusa reservor,
 126 ne studeam cupidis complacuisse procis.
 127 Stulte parens, non haec alicui debetur amanti,
 128 virginitas soli nostra dicanda Deo est.
 129 Rara comes mecum sed quae fidissima certe est,
 130 et vigil occlusas excubat ante fores.
 131 Triste coarctatis caput effero saepe fenestris,
 132 et juga prospectu metior alta meo.
 133 Nunc aliquis volucres faceret mihi Daedalus alas,
 134 nunc ego Triptolemi curribus ire velim.
 135 Non me cara parens, non me pater anxius aevo,
 136 non patrius plena messe movebit ager.
 137 Protinus evadam gentis qua turba lavatae,
 138 veridico tantum praedicat ore deum.
 139 Sed vetor, et tristes meditor sine teste querelas,
 140 ipsa animi testis conscia sola mei.
 141 Quacumque aspicio longo stant ordine circum,
 142 quos pater ut colerem jussit habere deos.
 143 Heu, dolor ista colam stulti ludibria saeculi,
 144 ah pereat lapides qui putat esse deos.
 145 Ipsa ego ut excessi primum puerilibus annis,
 146 nunc quoque tot divos suspicor esse nihil.
 147 Nec ratione caret cur sic ego credere malim,
 148 est aliquid veteres evoluisse libros.
 149 Praecipue haec animo nuper vigilante notavi,
 150 carmina Jessaeo vaticinata seni.
 151 Quae diversa colunt gentes simulacra profanae
 152 cuncta sibi humanae constituere manus.
 153 Ora quibus numquam vero sermone loquentur,
 154 quo nequeant aliquid cernere lumen habent.
 155 Nulla soni venient vanas elementa per aures,
 156 nare subipsorum non erit ullus odor.
 157 Organa deficient stupidas gustantia linguas,
 158 cassa locuturae guttura vocis erunt.
 159 In manibus nullum tactus erit instrumentum,
 160 stant fulti nequeant quo tamen ire pede.
 161 Noster at in caelo Deus est, quaeque ipse volebat,
 162 omnia de veteri condidit orta chaos.
 163 Verius haud potuit tantus praedicere vates,
 164 quis nisi mentis inops certa negare volet.
 165 Eia igitur dum laeta viret dum pullulat aetas,
 166 dum pudet ingrata relligione premi.
 167 Eripe clamantem Stygia de nocte puellam,
 168 caelestem populis pandere docte viam,
 169 si tua luminibus contingat epistola nostris,
 170 non cupiam voto prosperiore frui.
 171 Praecipue si quae mihi sint facienda docebit,
 172 quo possim soli complacuisse Deo.

173 Tunc ego, vaticinor, totis accensa medullis,
 174 clamabo patrios crimen habere deos.
 175 Jam mihi per scopulos videor salebrosaque saxa
 176 effugere, irati iussa tremenda patris.
 177 Ille quidem ferus est, larvasque ita respicit istas,
 178 cogitet ut vestram perdere saepe fidem.
 179 Viderit aversam cultus sprevisse priores,
 180 ipsius, haud dubie, tam furit, ense cadam.
 181 Nunc externa quidem longe est in regna profectus,
 182 absentemque domo tertia luna videt.
 183 Ignibus octavum postquam illa refecerit orbem,
 184 longius a patria non erit ille domo.
 185 Opportunus abest, nec tempore possumus umquam
 186 si libet hoc ipso commodiore frui.
 187 Non precor ut venias, longa est via, sed tamen oro
 188 ut veniat pro te littera scripta mihi.
 189 Quod tamen ut peterem calamo dubitante timebam,
 190 ausuram vetuit longius ire pudor.
 191 Jam satis ingratae numeramus taedia vitae,
 192 o utinam placeat littera nostra tibi.
 193 Ardeo quam primum sacro de fonte lavari,
 194 haec est propositi maxima causa mei.
 195 Nunc te si qua tibi est vestrae reverentia legis,
 196 deprecor hic miserae quam potes affer opem.
 197 Nec me destituas dubiis, mitissime, rebus,
 198 stat mala pro vobis qualiacumque pati.
 199 Adde fidem famae de te mihi tanta locutae
 200 et mihi, si nequeas corpore, mente veni.

SABINA ALEXIO.

H3_05 v.1 Sic ubi perdiderit carum viduata sodalem,
 2 si canere hoc dicas, maesta columba canit.
 3 Non quia te nolim rebus gaudere professis,
 4 sed mihi quod tecum non licet esse queror.
 5 Tu quoque credentem potuisti fallere nuptam,
 6 primaque de nobis fraus tua nomen habet.
 7 Si mea non potuit ruditas meruisse favorem,
 8 cur tua fit nostro crimine tarda fides ?
 9 Profuit hoc miserae taedas praeferre jugales,
 10 sic quoque vestalis nubere virgo potest,
 11 quae mihi prima fuit facta est nox ultima tecum,
 12 quaeque dies nobis te dedit illa tulit.
 13 At mea virginitas bene tot servata per annos,
 14 maestitiae pretium pondus et instar habet.
 15 Hoc bene successit quod sum sine crimine nupta,
 16 hoc male quod cogi creditur ille pudor.
 17 Vivere si lecto tecum licuisset in uno,
 18 summa prior voti non fuit ulla mei.
 19 Hanc tibi tuque mihi qua sola nocte licebat,
 20 accepta dedimus condicione fidem.
 21 Oscula non etiam plus quam fraterna dedisti.
 22 Sed tamen his pejus lingua locuta tua est.
 23 Vive soror votum non dimissura pudorem,
 24 diversa exilio terra petenda mihi est.
 25 Cum referet plenam ter septima messis aristam,

26 si vivam reditu laeta ferere meo.
27 Non secus obstupui, quam quae super Alpius altis
28 audiat immites pendula dama lupos.
29 Scilicet ipsa viro vivam sine conjugis conjux,
30 quemque velim coram semper abesse querar.
31 Quid mihi Romulides meliori sidere nuptae,
32 quid Latiae dicent invida turba nurus ?
33 Omnia liberius credit mala vulgus iniquum,
34 esse bonis semper fama maligna solet.
35 Qualiter imbriferis tellus siccat ab Austris,
36 sic animum movit nostra querela tuum.
37 Et tibi jam Tyriae vestes jam purpura fulgens
38 excidit, est humeris mantica sumpta tuis.
39 Hei mihi quid feci ? Quali sum nupta marito ?
40 Huic forma nescit maxima Roma parem ?
41 Tempus erat rebus nox abstulit atra colorem,
42 per nigra non ullus nubila fulgor erat.
43 Oscula discedens lacrimis confusa dedisti,
44 hoc repetens longo tempore "vive soror".
45 Ibis et, heu, miseram cui me fugitive relinquis,
46 quam properas, dixi, sim comes ipsa viae.
47 Et simul excideram vix tu solatus amantem,
48 tempore dicebas sola fer esse brevi.
49 Hebdomas implevit ter septem tertia messes,
50 nec tua promissa est verba secuta fides.
51 Durius invisas crescit mihi tempus in horas,
52 quo sine te miserum vivere dulce mori.
53 Aspiciunt aliae coram sua gaudia nuptae,
54 seque laborantes qui tueantur habent.
55 Absentem ipsa gemo, sine conjugis nupta, maritum,
56 meque laborantem qui tueatur abest.
57 Ergo ego turbato currentibus ordine fati,
58 quo sim nupta minus sum data nupta viro.
59 Sola fui patiente animo, sic esse juvabat
60 quod volui vita virgine posse frui.
61 Cur tamen haec tecum non est concessa voluntas,
62 qua melior nobis palma futura fuit.
63 Laudantur qui cum liceat peccare recusant,
64 quo careas facile est abstinuisse bono.
65 Innocui thalamo convenissemus in uno,
66 castaque foedasset corpora nulla Venus.
67 Sin ea conjugii tollat reverentia laudem,
68 noster in accepta prole stetisset amor.
69 Parvus in hac aliquis lusisset Alexius aula,
70 unde haec exiguum, littera venit, opus.
71 In qua, me miseram, quam tristibus anxia curis,
72 sufficio lacrimis non satis ipsa meis.
73 Ditibus ingredior triclinia strata tapetis,
74 mallet humilis tecum tecta subire casae.
75 Aula laborato speciosa renidet ab auro,
76 quo videam nostrum talia lumen, abes.
77 Quaeque placent aliis mihi sunt invisae, pigetque
78 qualescumque inter vivere delicias.
79 Anxius ipse pater multis Euphemius annis,
80 quod, nequit, ingratum est, dedoluisse semel.
81 Talis erat puerum qui tot de fratribus unum,
82 deflevit senio jam subeunte pater.
83 Sic trabe de querna luxit pendentia nati,

84 corpora Psalmographae duxque parensque lyrae.
85 Mater et Aglae tua me solata dolentem,
86 saepe aliquo visum nuper in orbe refert.
87 Parce nurus lacrimis, neque nos consume dolendo,
88 magna tuum fama est vidit Edessa virum.
89 Multa igitur nobis te quaerere littera missa est,
90 littera quae semper reddita clausa mihi est.
91 Misimus Hebraeas urbes veteremque Siona,
92 reddita nec fama est nominis ulla tui.
93 Non Hellesponti tetigisti litora, nec te
94 Bosphorus angusto vexit uterque mari.
95 Nec fera, te nobis consulta, Britannia vidit,
96 plenave praesenti Teutonis ora Deo.
97 Ad sacra non visum Zebedidae limina divi,
98 nemo sub Hispano vivere Sole putat.
99 Misimus ad fortes aliquem te quaerere Gallos,
100 heu, nec apud Gallos quando videris, ubi es ?
101 Ergo tuum nomen tibi convenit illud Alexi,
102 littera responso nulla onerata tuo est.
103 Forsan et agnosci non vis ubicumque locorum,
104 ex patria quemquam noris adesse domo.
105 Hei mihi, sic etiam patria potes urbe latere,
106 et saepe ex oculis tutus abire meis.
107 Multa ferunt anni fugienti incommoda formae,
108 et nullo est idem semper in ore color.
109 Suspicio illius florem cecidisse juventae,
110 legitima juncti qua ratione sumus.
111 Quaeque abeuntis erant tenui vix pulvere sparsae,
112 fors tegit hirsutas improba barba genas.
113 Et quae cum patuit tabulas referebat eburnas,
114 ruga fatigata plurima fronte sedet.
115 Et pluviis madefacte et solibus uste diurnis,
116 hic etiam certe sic latuisse queas.
117 Cur tamen in misera crudelis conjuge dici,
118 quod precor ut jam non esse, fuisse velis.
119 Illa tua hoc virtus, hoc nobilis ille requirit,
120 qui tibi nunc tardo pectore sanguis hebet.
121 Sic ego debebam de te meruisse tot annos,
122 postulat hoc caelo teste relicta fides.
123 Aut illam reddas quae me male dextra fefellit,
124 aut tu qua fallis fraude ferere nocens.
125 Grata Deo non sunt fallentia pectora, nec te
126 fraude tua superis posse placere puta.
127 Qui nos conjunxit, conjunctos esse volebat,
128 vita tua est illi dissona, crimen habet.
129 Finge dari, veniamque tibi culpamque remitti,
130 quis dabit ut possis non nocuisse mihi ?
131 At nocet utiliter qui quo nocet adjuvat idem,
132 nil queror, est curis pars bona dempta meis.
133 Ferre decet patienter onus quod ferre necesse est,
134 qui jacet invitus, durius ille jacet.
135 Sors mea sunt lacrimae, tristes mea vita querelae,
136 unda sit o utinam sordibus illa meis.
137 Abluat, et superum puram transmittat ad arces,
138 qua niveas ducit signifer agnus oves.
139 Illic, ut fueris nullo mihi in orbe repertus,
140 certe in caelitibus inveniere locis.
141 Membra sed ut possim prius hic tua tangere supplex

142 castus in edomito pectore quaerit amor.
 143 Deprecor exaudi patriamque revertere in urbem,
 144 si modo adhuc aliquo vivus in orbe lates.
 145 Praebueris vitamque mihi mortemque fugaris,
 146 in mea si dexter vota futurus eas.
 147 Si minus o curae tristes lacrimaeque valete,
 148 amplius in vobis spes mihi nulla manet.
 149 Quod superest uni tibi, magne, dicetur, Iesu,
 150 et tibi quae nullo mater es usa viro.
 151 Tu quoque, ut occidero si forte redibis Alexi,
 152 quod doceat quo sim condita carmen habe.
 153 Dum gemit absentem sine crimine nupta maritum,
 154 fessa malis placida morte Sabina jacet.

PELAGIA NONIO.

H3_06 v.1 Tecta virum nigro mulier simulante cucullo,
 2 ausa vir esse ipso nomine paene fui.
 3 Et nisi tu nosses etiam hoc mentita fuisset,
 4 tanta sub hoc habitu cura latere mihi est.
 5 Frons tamen exterior quod nomine scripta virili est
 6 cognita cum superis causa duobus erit.
 7 Arte quidem misero qua sum bene perdita mundo
 8 inveniam regni divitioris opes.
 9 Si qualem decuit titulum confessa fuisset,
 10 cur tegat exiguos penula longa pedes ?
 11 Jamque esset de quo gauderet perfidus hostis,
 12 cognita si vulgo fabula facta forem.
 13 Ergo vir et mulier scriptura decebat ut essem
 14 vir reliquis, uni femina nota tibi.
 15 Nec tibi quae totiens sum nomine dicta sororis,
 16 in prima fratrem fronte fuisse pudet.
 17 Et soror et frater rogo te fratremque patremque
 18 parce, erit in versu si qua litura meo.
 19 Per scelus arma quidem multum desueta resumo,
 20 ingenio nocuit pristina vita meo.
 21 Tunc quoque quae turpes ducebat saepe lituras,
 22 falleret ut multos officiosa manus.
 23 Nunc stupet et nudam dubitat tetigisse papyrum,
 24 tam pudet hoc sero posthabuisse nefas.
 25 Conscia praeteriti sceleris praesentia semper,
 26 mens timet, et proprio fracta pudore jacet.
 27 Et licet in melius mores abiere nefandi,
 28 attamen et durum est et meminisse dolor.
 29 Sicut enim quem nulla premit sentina malorum,
 30 nulla sub erecta nubila fronte gerit.
 31 Sic male quem tacito mens conscia fune flagellat,
 32 lucida vix audet tollere ad astra caput.
 33 Tu nosti qua sorte prior mihi fluxerit aetas
 34 hei mihi quam multos perdidit illa dies.
 35 Formosa exterius vultum depicta rubebam,
 36 foeda sed interius tota Mephitis eram.
 37 Ancillis comitata tribus sublime ferebar,
 38 dignior in putri sola jacere luto.
 39 Saepe aliquis spectans propere veneratus euntem,
 40 nescius abscessit per mea facta nocens.

41 Saepe pudicarum numerus mihi cessit, et ibam
 42 matronas inter sus lutulenta probas.
 43 Extulit elatam ventosa superbia mentem,
 44 heu, quantum adjecit criminis illa mihi.
 45 Quae fora quae plateae, quae thermae, quaeve diaetae,
 46 quae non sunt fastu plena theatra meo ?
 47 Torta comas, fucata genas, gemmata lacertos,
 48 cura juventutis desipientis eram.
 49 Immemor instantem tacite properare senectam,
 50 in mediis vixi nata puella rosis.
 51 Immemor esse malis positam pro crimine poenam,
 52 ipsa mihi tamquam non moritura fui.
 53 Nec potui, si quis monuisset, ferre monentem.
 54 Tam pectus saxo durius illud erat :
 55 ah ! Pudet ulterius veterum meminisse malorum,
 56 turpe est ante viros facta pudenda loqui.
 57 Quam tamen haec vellem detur mihi nulla referre
 58 copia, nec lapsam turpiter esse queri.
 59 Namque ego nec refero vulgo ut mea facta notentur,
 60 sed queror ut medicum tristis et aegra feram.
 61 Quem precor ut qualem primo te vulnere sensi,
 62 talis quae superant stigmata nigra leves.
 63 Plura quidem superant quae quamvis oblita credas,
 64 est tamen haec saniem multus habere timor.
 65 Attigeris medicante manu pater inclute Noni,
 66 nullus in hoc usquam corpore naevus erit.
 67 Utque aliquo noster non est in corpore morbus,
 68 sic alia tanges vulnera nostra manu.
 69 Antidotum veniens mihi portet epistola verum,
 70 credis ? Habet longas littera scripta manus.
 71 Namque quid absentem moveas ne forte timebis,
 72 cui tu praesenti fulminis instar eris ?
 73 Non etiam ut moneas opus est, quis montibus umbras ?
 74 Quis gelidas vitreis fontibus addat aquas ?
 75 Maerentem solare animum quem dive ruentem,
 76 e Stygia revocas ne moreretur aqua.
 77 Ille quidem per te sibi redditus ultima primis
 78 comparat, et prudens haec fugit, illa probat.
 79 Qui sua dum justa trutinat commissa bilance,
 80 non semel est fassus quod sapit esse tuum.
 81 Ergo prius, quem pulchra canunt mendacia vatium,
 82 solari exustam lampade tanget humum.
 83 Ante mari volucres, pascentur in aere pisces,
 84 ante oriens vesper, vesper Eous erit.
 85 Quam mea mutatis languescant pectora votis,
 86 devotam satis est me semel esse tibi.
 87 Sicut enim assiduis decoctum solibus aurum,
 88 amplius, exactum, quod fuit esse nequit.
 89 Sicut et aereo Phoenix reparatus in igne,
 90 non idem est juvenis qui fuit ante senex.
 91 Si quem tota semel divini flamma caloris
 92 hauserit, antiquum non remeabit iter.
 93 O dulces flammis, o grata incendia menti,
 94 quae tota in Christo liquitur atque fluit.
 95 Non ego quas toto cogit mercator ab orbe,
 96 non ego quas totus continet orbis opes.
 97 Denique non toto vellem prius orbe potiri,
 98 quam te non toto pectore, Christe, sequi.

99 Gratia dive tibi, tu me pater ista negantem,
 100 duxisti verae per pietatis iter.
 101 A quoties niveo subit ista notanda lapillo,
 102 quae mihi te dederat prima videre dies.
 103 Ut celebris sacra spectandus in aede Sacerdos,
 104 supremi populo prece tonantis eras.
 105 Jam tibi contempti mundi fallentis honores,
 106 materiam verbis exhibuere tuis.
 107 Ut sit in hac vita brevis et fugitiva voluptas,
 108 cui paret aeternas altera vita cruces.
 109 Utque sit in caelo cui sordeat ista futurus,
 110 ante triumphantes umbra beata choros,
 111 quamque incerta dies quae nos hoc corpore solvat,
 112 quam certum cunctis debeat esse mori.
 113 Denique quam sit homo facili mutabilis aura,
 114 dum memoras verbis talibus usus eras.
 115 Bulla palustris homo, ventus, flos, pulvis et umbra,
 116 incipit et cessat, nascitur et moritur.
 117 His mea movisti nuper durissima corda,
 118 haec mihi tardanti non leve calcar erant.
 119 Accessi et supplex populo spectante rogabam,
 120 curvato nudum poplite flexa genu.
 121 Plene deo linguaque potens, animose pia vi,
 122 mole sua pressos docte levare animos.
 123 Innumerabilium pressae gravitate malorum,
 124 ad veniam reditus si datur aede precor.
 125 Multa precaturam lacrimae vetuere, nec ipse
 126 passus es aut frustra quaerere sive queri.
 127 Atque ita ne dubita, spera bene, siste querelas,
 128 quam petis est facili causa tenenda modo.
 129 Pondere multiplicis quantumvis obruta culpae,
 130 non est ad veniam janua clausa tibi.
 131 Tanta Dei pietas, tanta est clementia Christi,
 132 ut miseros etiam vivere paene roget.
 133 Quam misere et quoties cecidit peccator aberrans,
 134 ut citius surgat porrrigit ille manum.
 135 Venit enim salvare omnes non perdere quemquam,
 136 per quem Christicolae turba redempta sumus.
 137 Magna habet haec aetas, majora exempla vetustas,
 138 tu quoque de multis pauca tenere potes.
 139 Nil Maria Aegyptus nil Thaide pejus habebat,
 140 improba Magdalidum de tribus una fuit.
 141 His tamen accessit repetiti gratia Christi,
 142 nunc pascunt superas turba beata dapes.
 143 Sperne igitur placidum mundi fallentis amorem,
 144 fide Deo, maculas diluet ille tuas.
 145 Sic breviter mecum populo mirante locutus,
 146 urebas quadam pectora nostra face.
 147 O vox plena spei, dulcis vox plena salutis,
 148 dulce melos nostris auribus illa fuit.
 149 Vix gavisam magis praesentis voce magistri est,
 150 cui peperit veniam lacrima fassa nefas.
 151 Laetitia quoque vix credam potiore fuisse,
 152 quem solata Dei vox morientis erat.
 153 Laetior inde abii quamvis quoque tristis ut essem,
 154 facta prius vitae causa fuere meae.
 155 Tunc mihi quot madido vigilatae lumine noctes ?
 156 Quam multa assiduis fletibus acta dies ?

157 Donec ut es miserum doctus miserescere Noni,
 158 fulcita est manibus nostra ruina tuis.
 159 Tu nimia obscurae mersam caligine noctis,
 160 jussisti insolitae lucis adire diem.
 161 Per loca virosis errabam plena colubris,
 162 tu poteras tutae restituisset viae.
 163 Jactatam dubio pugnantibus aequore ventis,
 164 duxisti in tutam Tiphys fidelis humum.
 165 Frigida somnifero quassatae tempora ramo,
 166 mortua depulsa lumina nocte levas.
 167 Jam quoque vicini subeunti limen Averni,
 168 non hac dicebas, itur ad astra via.
 169 Protinus in tenebris apparuit error eunti,
 170 qui mihi deliciae nuper amorque fuit.
 171 Tum primum agnovi quam me blandissima Siren,
 172 paene sub infames praecipitasset aquas.
 173 Sic quis in Ionio sulcans vada caerula ponto,
 174 ni caveat dulci perditur exitio.
 175 Hoc quemdam cavisse ferunt duo lustra vagantem,
 176 dum spolia in patriam Troica portat humum,
 177 qui nisi sprevisset blandas audire querelas,
 178 subdisset miserae seque suosque neci.
 179 Tu quoque vicina nisi me de morte tulisses,
 180 infernos alerem jam quota praeda canes.
 181 At bene successit quod gaudia falsa sequenti,
 182 indice te fuerant cognita vera mihi.
 183 Quae simul agnovi, valeat prius omne quod actum est,
 184 quae superant, dixi, tempora lucis erunt.
 185 Sic aliquis caeco puer enutritus in antro,
 186 lucis egens tenebras omnia habere putat.
 187 Qui simul invisae paulatim assueverit aurae,
 188 amplius in caeca non volet esse domo.
 189 Miraturque novas formas rerumque colores,
 190 multaque inexpleto lumine monstra videt.
 191 Sic aliquis spectans fallacis inania somni,
 192 mente soporata gaudia vera putat.
 193 Ut vero evigilat blandae ludibria noctis
 194 damnat, et ex animo non cecidisse dolet.
 195 Sed ne forte pias offendam pluribus aures,
 196 cetera sunt animo concipienda tuo.
 197 Sponte sua nec enim licet addere calcar eunti,
 198 sic pietas nobis cognita saepe tua est.
 199 Et nunc incipio canis albere capillis,
 200 et prope supremum suspicor esse diem.
 201 Quid faciam? Quo fine jubes hanc ire senectam?
 202 Indicio certam da pater esse tuo.
 203 Opprimor immodicis sub iniquo pondere curis,
 204 meque vocat primum subdita turba patrem.
 205 An decet hoc celare etiam et post fata latere?
 206 Nunc ego sum vitae paene inimica meae.
 207 Hac pater obtestor me sollicitudine solvas.
 208 Sive ego sim frater sive vocanda soror.
 209 Jamque vale nostrisque favens accede querelis,
 210 et lege placato carmina nostra Deo.

MARIA AEGYPTIA ZOZIMAE.

H3_07 v.1 Accola fluctivagi rapidas ad Jordanis undas,
 2 cognita non ulli ter tria lustra vagor.
 3 Proxima post nonam successit Olympias, et jam
 4 alter in obliquo tramite Phoebus erat.
 5 Cum tot ab humanis positae congressibus annis,
 6 missus es optatae ferre salutis opem.
 7 Excidit ? An memor es qua sis mihi parte monendus ?
 8 Aut etiam quae sim forsitan ipsa rogas ?
 9 Hoc te, sancte pater, non convenit esse putari,
 10 ex vultu probitas emicat ipsa tuo.
 11 Non mea signatam quod habebat epistola frontem,
 12 nec mihi qua premerem vincula gemma fuit.
 13 Forte quis addubitet qui me non noverit umquam,
 14 sed tamen haud ratio convenit ista tibi.
 15 Nam mihi ut incoepta est titubanti littera dextra,
 16 pro signo versus unus et alter erant.
 17 Accola fluctivagi rapidas ad Jordanis undas,
 18 non tibi, si nescis, forte reperta fui.
 19 Ipse pater superum mihi te transmisit, ut esses
 20 communem populo testis inisse viam.
 21 Et simul humanis abiturae rebus eundem,
 22 qua sit, opus verum praemonuisse fuit.
 23 Neu tantae jejuna viae commissa fatiger,
 24 ante hic caelesti me vegetare cibo.
 25 Hunc ex te monitore Deo cum forte rogarem,
 26 polliciti, recolo, summa erat ista tui ;
 27 quaecumque es tacitae cultrix insignis eremi,
 28 pars ego sim precibus quantulacumque tuis.
 29 Non mihi sorte aliqua casuve reperta, sed ipso
 30 quem colis, ut fieres nota, volente Deo.
 31 Lucifer igniferum cum Phoebus obiverit orbem,
 32 accipies avido quem petis ore cibum.
 33 Terribilis duodena rotae semel astra remensus,
 34 sol stupet egressum jam rediturus iter.
 35 Nostra nec interea tetigisti litora necdum
 36 addita pollicita est in tua verba fides.
 37 Longa via est et tu cumulato tardior aevo,
 38 nullaque adhuc forsitan est via coepta tibi.
 39 Hei mihi, quando feram languentis vota senectae ?
 40 Spem veniae, vitae gaudia, mortis opem ?
 41 Ut Sol occiduas fessus declinat in undas,
 42 nec jam cum superis amplius esse potest.
 43 Sic mea praeteritos aetas dum respicit annos
 44 vix se posse putat longius aegra trahi.
 45 Jam mihi maturam faciunt ter quinque senectam
 46 lustra, meas pulsat mors remorata fores.
 47 Sat vitae fatisque datum, quae deinde sequetur,
 48 est alio melior vita futura loco.
 49 Prima sed, heu, nimium juveniliter acta juvena est,
 50 pars vitae brevior sola dicata Deo est.
 51 Ah ! Pudet et veteris dolor est meminisse ruinae
 52 nam sua quis dici turpiter acta volet ?
 53 Attamen est ratio quae nos ea dicere cogat
 54 tu pondus merito praecipientis habes.
 55 Et cur ante Deum pudeat malefacta fateri
 56 ad veniam fassis qui pius esse solet ?

57 Prima suis lusit numeris improvida certe
58 quae tria vix aetas claudere lustra solet.
59 Hoc ego vulgares sum tradita tempore in usus
60 turpibus, heu, nimium quaestibus ausa frui.
61 Nec me Cypriacis fuit umquam pejor in armis
62 Tam bona Pontigena sub duce miles eram.
63 Moenia Pellaeo juveni fundata colebam
64 quis nihil Aegyptus clarius alma videt.
65 Jam nimia primam polluta libidine vitam
66 perdita jam mundo vivere certa fui.
67 Fit peregrinantum Solymam concursus ad urbem
68 causa novae populis crux pietatis erat.
69 Per mare sulcantes adii vada caerula nautas
70 non fuerant votis invida turba meis.
71 Mercedem rigidus poscebat navita justam
72 pro nauulo miserum corpus habere dedi.
73 Ventum erat ad sanctum Solomonia templa Siona,
74 illo constiterat crux veneranda loco.
75 Hic ego ter conata aedes intrare sacratas
76 ter jacui sacras ante repulsa fores.
77 Dum queror et merito ista pati, sine teste, recordor
78 visa mihi a dextra est matris imago Dei.
79 Accessi, supplexque Deam sic orsa precabar :
80 "O mater thalamo nullius usa viri,
81 aspice me qua corda soles pietate tuorum
82 vivam quod superest temporis omne tibi."
83 Annuere oranti visa est mitissima Virgo,
84 amplius haud ulla est facta repulsa mihi.
85 Hic mihi nescio quae stupidas vox fertur ad aures
86 Jordanis ad ripam vita petenda tibi est.
87 Obstupeo vocemque sequor jam certa prioris
88 delicias vitae linquere, inire novam.
89 Tempore ab hoc deserta colo tot sola per annos
90 hic quam perdideram vita reperta mihi est.
91 Hic mihi parta quies nullo mutabilis aevo,
92 caelestem referunt hospita lustra domum.
93 Deserat hic fugiens morientes spiritus artus,
94 Hic mea sub viridi caespate membra cubent.
95 Hic ego me vidisse aliquem tot euntibus annis
96 non memini praeter teque trucesque feras.
97 Tu mihi praesentis positurae munera vitae,
98 missus es ignotae lucifer esse viae.
99 Ipsa viam ingredior morti vicina propinquae
100 anne precor solam me pater ire jubes ?
101 Heu, timidam noctis terrent simulacra futurae
102 suetaque ad extremos larva venire dies.
103 Seu vigilant oculi, caeca seu nocte premuntur,
104 sollicitor variis hoste minante modis.
105 Tristia nunc stupidam turbant insomnia mentem
106 qualia lymphati saepe videre solent.
107 Saepe mihi videor deserta per avia longam
108 ignotamque aegre carpere sola viam.
109 Te pater interdum deserta quaerere terra,
110 hostiles omni parte timere minas.
111 Utque agit in somnis ferus ille et perfidus hostis
112 sic neque concessae tempore lucis abest.
113 Haec ego te patior nostro tardante periclo,
114 spes tamen est animi fomes et aura mei.

115 Spiritus infirmis vix artubus aeger adhaeret
 116 ut sitiens dura planta laborat humo.
 117 Utque vagus liquidas cervus desiderat undas
 118 quando gravem poto pertulit angue sitim,
 119 omnibus impatiensque jugis et vallibus errat
 120 arida ut invento pectora fonte riget.
 121 Sic sitit hic animus vivum, sua gaudia, fontem
 122 sic panem mea mens esurit aegra Deum.
 123 Quis dabit hoc miserae, ut corpus positura caducum
 124 ex manibus capiam fercula sancta tuis ?
 125 Quando erit ut veniam, et vultus ferar ante beatos,
 126 in quibus est superis gloria plena choris.
 127 Credo equidem nec vana fides, quia vivit et ipsum
 128 vita redemptorem est nostra secuta Deum.
 129 Quem propriis visura oculis in carne resurgam
 130 cum sub eo stabit iudice summa dies.
 131 Ergo laeta feram patiendae vulnera mortis
 132 haec est in tacito spes mihi clausa sinu.
 133 Vix tamen ante isto mortalis carcere vitae
 134 in se dissolvi spiritus ipse potest.
 135 Quam mihi promissae portanti dona salutis,
 136 ad sacros liceat procubuisse pedes.
 137 Fiat ut hoc praestare tuum est, idque esse memento
 138 polliciti seriem diximus ante tui.
 139 Hoc est quod multis facit anxia pectora curis,
 140 hoc est quod requiem non sinit esse mihi.
 141 Hoc ego tot lacrimis, hoc tot suspiro querelis
 142 haec voti series summaque summa mei.
 143 Tardior ipse tamen numquid spe ludis inani ?
 144 Aut fortuna tuae non fuit aequa viae.
 145 Ah, quoties rapidi remeavi ad Jordanis undam,
 146 ah quoties refero tardior inde pedem.
 147 Spes tamen adjecta est nostris non invida votis
 148 solatae caelo commiserante sumus.
 149 Namque ita scribenti tamquam spes omnis abisset,
 150 vox bona, ne dubita, jam properabit, ait.
 151 Sancte pater, propera promissaque debita firma
 152 causa est cur properes magna decensque tibi.
 153 Non tibi nunc oneri, neque tarda futura senecta est
 154 quemque feres tecum te feret ille mihi."
 155 Ipse etiam rapidas sternet placidissimus undas
 156 incluta qui gemini nomina fontis habet.
 157 Utque olim placidum Christus superastitit aequor
 158 sic ibis sicco per vada summa pede.
 159 Ipsa frequentatum te praestolabor ad amnem
 160 nec via carpenda est longior ulla tibi.
 161 Haec quoque verba loco partim nunc scribimus illo
 162 hei, male frigenti verba notata manu.
 163 Cernis ut aerea cortex mihi raptus ab ulmo est
 164 arida funebres fecit arundo notas.
 165 Nunc tamen hanc miserae satis est cecinisse querelam
 166 quod superest unum te pater esse decet.

DOROTHEA THEOPHILO.

H3_08 v.1 Haec tibi de sponsi munuscula mittimus horto

2 frigida quo numquam tempore vernat humus
 3 accipe, ne dubita, non est rosa falsa, nec ipsa
 4 inficit adjectus punica mala rubor.
 5 Non tamen has Cytherea rosas Venus ulla colorat
 6 non has Idalio sub lare ponit Amor.
 7 Rossidaque Hesperidum non legit ab arbore poma
 8 qui tibi miranti tradidit ista puer.
 9 Ipse suo sponsae transmisit Christus ab horto,
 10 gratia ubi aeternis vernat amoena rosis.
 11 Ad loca ducebar patiendae proxima mortis
 12 ante meos oculos constitit iste puer.
 13 Has tibi sponsa rosas sponsus transmittit Iesus
 14 hinc ubi nulla herbas bruma perurit, ait.
 15 Mandati memor ipsa tui, puer optime, dixi
 16 an meus hinc aliquo nuntius esse voles ?
 17 Annuit, ergo, inquam, vade atque reversus in urbem
 18 ardua Romani limina quaere ducis.
 19 Protinus occurret tibi scribarum optimus illic
 20 qui grave divini nomen amoris habet.
 21 Postquam constiterit, quae nunc mihi munera portas
 22 cum tribus haec illi da tria mala rosis.
 23 Si rogat unde feras vernos in frigore odores
 24 hos tibi Dorotheam sic tribuisse refer.
 25 Finieram, injectae reliquum vetuere catenae,
 26 quassaque crudeli virga cruenta manu.
 27 Constitit ille tamen mandataque talia paucis :
 28 "Scribe, ait, et tabulas protulit atque stylum.
 29 Vix potui exiguo spatium exorare labori,
 30 tam fera Fabricii Consulis ira fuit.
 31 Ipsa perurentis consedi in frigore saxi,
 32 pallida jam virgis, frigore, fuste, metu.
 33 Multa minans lictor virgas vibrabat et ense,
 34 scribere tunc quicquam me potuisse putas ?"
 35 Applicui tamen et digitos in verba coegi,
 36 ut glacies gelidae diriguere manus.
 37 Afflabam calido torpentia membra vapore,
 38 vividus adhuc nostri spiritus oris erat.
 39 Parte manus liquefacta rudes utcumque lituras,
 40 aedidit inferias funeris ipsa sui.
 41 Qualiter ad Phrygii Maeandri litora cygnus,
 42 cantator mortis dicitur esse suae.
 43 Mittimus ergo rosas quas et quae mala petisti,
 44 in Paradisiacis utraque lecta jugis.
 45 Hoc tam credideras fieri quam climate nostro,
 46 sole sub hiberno posse virere rosas.
 47 At locus est primo Phoebi surgentis in ortu
 48 aerei supra tertia regna poli.
 49 Culta ibi vivaci viridaria cincta smaragdo,
 50 caelesti florum fertilitate vigent.
 51 Angelicis illic manibus sata germina fragrant,
 52 ver ibi perpetuum perpetuusque dies.
 53 Flaminibus vivax agitur caelestibus aer,
 54 nescit vitalem pestilis aura locum.
 55 Denique non alicui locus iste obnoxius astro
 56 verna domus sponsi est deliciaeque mei.
 57 Accipit hic puras terreno ex carcere mentes,
 58 hic patet aetherae janua prima domus.
 59 Hunc vacuum fecit mortalibus Haeva colonis,

60 heu, nimis audaci noxia facta manu.
61 Hinc mihi florigerum puer attulit ille canistrum,
62 quem tibi nunc idem dona petita tulit.
63 At tu si sapias non tam mirabere dona,
64 quam dare qui, quoties collibet, ista potest.
65 Februa sidereo quo Luna in pisce tenetur,
66 aestivas quis eo tempore quaerat opes ?
67 Itala jam nullos mittit Lucania flores,
68 difficilis Paestum nobile claudit hiems.
69 Nulla Syracusiae jactant violaria valles,
70 florida Riphaea spargitur Hybla nive.
71 Maeonis haud croceis floret nunc Lydia campis,
72 nec nive sed verno Tmolus honore vacat.
73 Languit Assyrium florum genus omne per orbem,
74 Hierichus Scythico maeret adusta gelu.
75 Lugent Hesperidum pomaria nuda sororum
76 perdidit aestivum Punica terra decus.
77 Omnia quae nostro Sol despicit altus in orbe
78 nunc sine laetitia nunc sine honore jacent.
79 Denique nunc vireantque rosae vernentque vireta,
80 totaque florigeram gratia pingat humum.
81 Quis mihi propositae passurae vulnera mortis,
82 florida in extremo funere sarta ferat ?
83 Quisve sinat legisse manu per vincla retentam ?
84 Nullius hic causam suspicionis habes.
85 I nunc Christicolae ride promissa puellae,
86 i nunc et Christum numen habere nega.
87 Quin potius per signa Deum cognosce potentem,
88 et sequere hac qua me conspicis ire via.
89 Hac sequere ad superas haec proxima pertinet arces
90 Tartara desipiens hactenus ima subis.
91 Aspice praeterea varias tot signa per urbes,
92 qualia vestrati sub Jove nemo facit.
93 Et vera cognosce Deum ratione potentem,
94 et sequere hac qua me conspicis ire via.
95 Et nisi praesenti mens ebria fallit amore
96 mutato Christi pectore miles eris.
97 Tu quoque vivificae gustabis pocula mortis,
98 haec quoque victuro strata palaestra tibi est.
99 Postmodo caelesti mihi respondebis in horto
100 tunc capiti reddes florida sarta meo.
101 Nunc ego sollicitor properatum imponere finem,
102 heu mihi quam duram mox obitura necem.
103 Certa tibi interea fidei sint pignora nostrae,
104 addita purpureis punica mala rosis.
105 Si tamen hoc aliqua corpus dignabitur urna,
106 posteritas cineri sic precor adde meo.
107 Ultima Dorotheam pro Christo vulnera passam,
108 hoc me idem tumulo condidit, hospes abi.
109 Cetera quae volui tecum puer iste loquetur,
110 sit licet, est superum numen ab arce, puer.
111 Frigida nunc avidae praebemus colla securi,
112 deque meo modicum carmine vulnus abest.
113 Christe, fer hanc animam promissi in gaudia caeli,
114 ipsa tuo solvor carcere terra. Vale.

EOBANUS POSTERITATI.

H3_09 v.1 Quam legis Hesus amans quondam tibi diva reliquit
 2 ipsa tuo ut legeres tempore Posteritas.
 3 Nam neque tunc fueras cum scriberet ille nec umquam
 4 speravit vultus posse videre tuos.
 5 Quam sibi praesentem nemo conspexerit umquam
 6 omnia quae sequeris ultima semper anus.
 7 Quo magis appeteris magis hoc fugis improba retro
 8 ludis amatores lubrica diva tuos.
 9 Atque ut semper abes praesens viventibus aevum
 10 sic si respicias pristina semper ades.
 11 Sed neque praesentem nos te veneramur amantes,
 12 nescio qua potius laude futura places.
 13 Nata diu vivis, quae nondum nata, futura es
 14 vatibus antiquis nata, futura mihi.
 15 Nemo tuis potuit vivens amplexibus umquam
 16 nemo tuo praesens captus amore frui.
 17 Lubrica decedens, veniens simul atque resistens,
 18 non tua deprendi mira figura potest.
 19 Non mihi te Coi manus ingeniosa magistri,
 20 pinxerit aut Zeusis, Parrhasiusve senex.
 21 Non vidit plures fingentem Protea formas,
 22 omnis in Oceano cognita turba mari.
 23 Adde modo ut venias vultu non semper eodem,
 24 constes interdum nigra aliquando nitens.
 25 Saepe quidem multos qui te impatienter amarunt
 26 rejicis, et nulla laude superba juvas.
 27 Contra etiam multos ita diligis optima mater
 28 ut vita dignos perpete in astra leves.
 29 Es tamen omnigenum iudex aequissima rerum
 30 et justa ex omni parte statera tua est.
 31 Seu mihi dura igitur mater seu blanda futura es,
 32 inter amatores fer precor esse tuos.
 33 Ultima tu nostras Heroidas inter haberis
 34 ultima nam cunctis rebus adesse soles.
 35 Attamen ut noris primam te semper amavi,
 36 o animae certe cura secunda meae.
 37 Te prius ex animo finxi quam dicere possem
 38 qua mihi praecipue parte sequenda fores.
 39 Ingenium tibi paene puer juvenile dicavi
 40 esse tuae cupiens pars quota militiae.
 41 Ergo utcumque legis olim mea carmina quisquis
 42 venturae socius posteritatis eris.
 43 Quae mihi terra parens, quae nostrae stirpis origo,
 44 quae fuerint vitae tempora, nosse voles.
 45 Qua videt undantem fluvio Germania Rhenum
 46 et velut in centrum Teutonis ora coit,
 47 terra viris colitur, Catts dixere vetusti,
 48 nunc aliud pugnax Hestia nomen habet.
 49 Mons ibi Christiferae celeberrimus aede puellae
 50 radices vitreis Aedera lambit aquis.
 51 Parva quidem nostris sed Francoberga Camenis
 52 obscuras inter non habitura locum.
 53 Si modo tu fama vatem dignaberis ulla
 54 posteritas qui te tam reverenter amat.
 55 Illic vitales primum decerpsimus auras,
 56 nascenti primam praebuit illa diem.

57 Jam ter quinque ierant a nato saecula Christo,
 58 annos deme tamen cum tribus inde novem.
 59 Quaque ego nascebar fulsit lyra nocte, fuitque
 60 una ortus facies illius atque mei.
 61 Non ego falsa loquor, vertentem consule mundum
 62 sacra dies Jani Regibus illa fuit.
 63 Quae mihi signa domus, qui sint ne quaere parentes
 64 pauper uterque fuit sed sine labe parens.
 65 Non genus aut proavos numero non stemmata avorum
 66 virtute o utinam nobilis esse ferar.
 67 Prima quibus puero studiis accreverit aetas,
 68 nil moror et certe nemo rogare volet.
 69 Protinus hinc primis quantumque recordor ab annis
 70 nescio quo vatum numine raptus eram.
 71 Nondum cognoram nomen titulumve poetae
 72 ipse mihi nondum, Tytire, notus eras.
 73 Dixerit incauto si quis tamen ore poeta,
 74 protinus impatiens et sine mente fui.
 75 Nectebam numeros ratus hoc utcumque decere,
 76 lex mihi tum versus cognita nulla fuit.
 77 Tam fuit ignotis fautrix natura poetis
 78 da veniam superis hi mihi majus erant.
 79 Vivere jam nullos omnes vixisse putabam
 80 tam puer et nondum forte decennis eram.
 81 Namque fere nuper Germania nostra solebat
 82 non pueros studiis sed dare paene viros.
 83 Quippe magis bello atque armis intenta gerendis
 84 res tantum Latio protulit ore sacras.
 85 Nunc vero Ausonias ita se convertit ad artes
 86 ut Latio fuerit paene latina magis.
 87 Atque ut eo redeam quo sum digressus, ut autem
 88 nunc etiam vates vivere certus eram.
 89 Sorduit humanas quicquid sibi subdere mentes
 90 displicuit posset quicquid amare puer.
 91 Obtulit in triviis quemdam fortuna magistrum
 92 qui numeris certum diceret esse modum.
 93 Hunc colui supplex, illi tantisper adhaesi
 94 dum didici certis legibus ire pedes.
 95 Sponte sua influxit paucis mihi Musa diebus
 96 et mihi jam puero non leve nomen erat.
 97 Ut non praecipuus dubitarit scribere vates,
 98 Hesse puer, sacri gloria fontis eris.
 99 Carmina cum primum populus mea lecta probaret
 100 clausa fere fuerant jam tria lustra mihi.
 101 Illo me studiis Erphurdia magna fovebat
 102 tempore, et ingenii publica signa dedit.
 103 Et jam quarta meis accessit Olympias annis
 104 Bucolicis lusit nostra juvenia modis.
 105 Pluraque praeterea juvenilia carmina lusi
 106 quae, quia sunt etiam publica, nosse potes
 107 nunc mihi ab undecimo ter quintus vivitur annus
 108 aetatis non est plusve minusve meae.
 109 Tempore quo Caesar ter maximus Aemilianus
 110 in Venetos duri fulmina Martis agit.
 111 Scribimus illustres Heroidas ecce puellas
 112 has tibi praecipue dedico posteritas.
 113 Accipe diva senex gremio tua pignora amico
 114 si potes atque piaae nomina matris habe.

115 Has partim absolvit sub iniquo Prussia caelo
 116 qua vagus admissas Vistula sorbet aquas.
 117 Partim ubi flaventes niger Odera versat arenas
 118 absolvi vidit nobile Gymnasium.
 119 His mea Peligni mirari musa poetae
 120 ingenium potius quam sapere ausa fuit.
 121 Hactenus a studiis si non vera omnia scribo
 122 ultima qua fallam causa sit ista precor.
 123 Quos tulerit nostro Germania tempore vates
 124 e multis aliquot dicere forte roges.
 125 Quisquis es Hutteni lector percurrere libellos
 126 quemque suo reddit nomine quemque loco.
 127 Inspice Posteritas Hutteni carmina vatis
 128 hunc recto poteris dicere jure tuum.
 129 Hac igitur, forte atque alia ratione, poetae
 130 nullius in nostro carmine nomen erit.
 131 Nomina transierim vatium non digna malorum
 132 invidia dicar non caruisse malis.
 133 Vatibus addidero doctis mala nomina forsan
 134 iudicium dicar non habuisse bonis.
 135 Fortunae atque animi jam dudum munera nosti
 136 naturae superest dona referre meae.
 137 Corpus erat membrisque decens patiensque laborum
 138 robore firma suo, brachia, crura, latus.
 139 Forma virum decuisse potest, sine labe decensque
 140 frons diversa, animi spiritus altus erat.
 141 Hactenus haec juvenem de se dixisse feretis
 142 o quibus aut lecta est aut mea musa placet.
 143 Lusimus haec certe properanti carmina plectro
 144 dum nimis ad metam noster anhelat equus.
 145 Parcite si qua minus justum referuntur ad unguem
 146 haec sunt ingenii munera prima mei.
 147 Tempora venturae tangam si forte senectae
 148 plura quidem primis et meliora dabo.
 149 Tum quoque Posteritas tibi multa legenda relinquam
 150 tamquam primitias suscipere ista velis.
 151 Et me si mereor, nec enim est attingere primos
 152 postremos inter temporis hujus habe.

ECCLESIAE AFFLICTAE EPISTOLA AD LUTHERUM. CAPTIVA LUTHERO.

H3_10 v.1 Hanc tibi, cum legeres, Ecclesia vincta, Luthere,
 2 an lacrimis oculi commadueret tui ?
 3 An gravis invictum tenuit constantia pectus
 4 fluctibus in tantis vindice tuta deo ?
 5 Idque ego crediderim de te, quem nulla hominum vis,
 6 vincere, nec tristes evaluere minae.
 7 Nec dubitare potes, quae causa coegerit isthaec
 8 scribere, materia est cognita tota tibi
 9 sera sed haec forsan si littera visa venire est,
 10 vix etiam hoc nostra est tempore clausa manu.
 11 Tam mea carnifices laniarunt viscera dextrae,
 12 a quibus indigna condicione premor.
 13 Aspicias immodico foedas squalore tabellas,
 14 utque suum teneat littera rara locum.
 15 Talia captivae deducunt carmina, tales

16 exprimit obscuri carceris umbra notas.
17 Enecor inque dies curis absumor acerbis,
18 restat in hoc vivum corpore paene nihil.
19 Sic sum fessa malis, sic fracta laboribus istis,
20 si videas ultra posse dolere neges.
21 Ille tenet vinctam qui se caput orbis et ipsum
22 ipse suas sordes extulit ante deum.
23 Quem mea crudeli foedaturum ubera dextra
24 olim fatidici praemonuere senes.
25 Et nisi me, sed quem fallant oracula vatum
26 bestia vastatrix non erit ista diu.
27 Tu modo sicut habes victae decus, utere parte
28 elabi manibus ne queat illa tuis.
29 Et facis, et per te nos vindicat ira tonantis
30 o nova spes nostris facte Luthere malis.
31 Adseris amissae quia libertatis honorem,
32 me quia captivam posse manere negas.
33 Macte animo, caelum petitur virtutibus istis,
34 taliam conantes omnia posse puta.
35 Aude animo, pulchram meriti lature coronam
36 fide deo, partes proferet ille tuas.
37 Certa tibi mecum victoria stabit ab illo,
38 qui caput et sponsum se facit ipse mihi.
39 Tunc ubi degenerem, Christo duce, straveris hostem
40 ipsa feram meritis praemia digna tuis.
41 Namque ita non cecidi quin possim surgere, si sit
42 qui levet, et curae nos habuisse volet.
43 Salva fides nobis, et adhuc stat gratia Christi
44 obruta quae vires non habuere suas.
45 Victa fides operum latuit sub imagine falsa
46 gratia sub dura lege sepulta fuit.
47 Quaeque tibi ut videas, non est opus indice, nam sunt
48 omnia iudicio cognita nostra tuo.
49 Quae tibi ne maesto referantur singula versu.
50 Nota mei brevibus summa doloris erit.
51 Nam si omnes referam, cladum primordia, causas,
52 carmine in hoc finem non habitura fui.
53 Non queror a paucis culpas venisse malorum
54 omnes Christicolae opprimit una lues.
55 In mea crudeles grassantur viscera nati
56 a quibus ubertas nostra tuenda fuit.
57 Nempe salutifera quondam fecunda juventa
58 nil pario praeter monstra, trucesque feras.
59 Et nisi tu renoves nostrae primordia vitae,
60 mortua jam, mundo paene videbar anus.
61 Sed quia facta mihi est per te spes posse reduci,
62 solor praesenti damna priora bono.
63 Quod licet emineat vix, et pejora residant
64 spem tamen, exiguum hoc, ad meliora facit.
65 Multa quidem per te sunt reddita lucis ademptae
66 signa, quibus videor non ita tota mori.
67 Quod tamen in primis multa ratione dolendum est.
68 Per mea diripior viscera, mille modis.
69 Atque ut pauca mei referam tormenta laboris
70 quae noceat pestis qua premar hoste vide.
71 Cernis ab Ausonia quae me vis urgeat arce,
72 carcer, si nescis, maximus ille mihi est.
73 Illo nostra loco virtus elanguit omnis

74 quo deus est quisquis pessimus esse potest.
 75 Qui sibi commissas quas devoret atque trucidet
 76 non aliis, Christi nomine, credit oves.
 77 Quem cathedras aiunt Galilaei insidere Petri,
 78 et neque mentitos hoc pudet esse nefas.
 79 Cum si Romuleam Petrus umquam venit in urbem,
 80 quem jactant sedem vix tenuisse putem.
 81 Atque utinam ut cathedra gaudent sedisse Petrina
 82 vita gauderent illius esse pares.
 83 Arma quidem sed falsa gerunt, quibus omnia terrent
 84 ut pueros larvae saepe fugare solent.
 85 Nam quibus exemplis triplicem gestare coronam,
 86 audet Acidaliis mollior iste rosis.
 87 An quia sceptrum tenet dominati ditia mundi
 88 rex, pater, Augustus, per tria regna potens ?
 89 An quoniam triplici, ter maximus, imperat orbi
 90 caelitibus, terrae, tartareoque gregi ?
 91 Petre, dolesne tua tales in imagine vultus,
 92 Petre, tuis meritis ista corona datur ?
 93 Talem, Petre, tulit cruce cum penderet ab alta,
 94 qui tibi commisit quas redimebat oves ?
 95 Roma quid infelix hoc principe contulit orbi,
 96 illius exhausto prorsus avaritia.
 97 Quis dabit ut pro re plorem satis ? Aut ubi plorem ?
 98 Haec flenti ex animo quis mihi testis erit ?
 99 Non habet acceptas pietas invisae querelas,
 100 sint licet et justae, sint licet et meritae.
 101 Aspice tot fratres illi, quot ubique locorum,
 102 signat mitratos tonsa corona patres.
 103 Quorum qui praestant opibus, nam regibus audent
 104 esse pares, titulis gloria prima datur.
 105 Horum par superis reverentia, parque potestas,
 106 hunc modo si finem fastus habere queat.
 107 Hi quoque pastorum gaudent cognomine, verum
 108 quam quod amant dici, nil minus esse liquet.
 109 Nam cum sint veri partes pastoris, ut ipsas
 110 verbi Evangelico germine pascat oves.
 111 Non solum non pascere oves iis cura, sed omni
 112 vellere, parte, loco religionis habent.
 113 Cumque nec ipsi obeant, nec dignis pascua mandent,
 114 praeda lupis miserae destituuntur oves.
 115 Atque ita, me miseram, totos mutilata per artus,
 116 vix animam vivi pectoris aegra traho.
 117 Dum quo debuerant nobis peperisse salutem,
 118 illo ipsi gladio nos jugulare student.
 119 Ut taceam quibus illi opibus, quantisque tyrannos
 120 muneris obliti pontificalis agant.
 121 Praetereo quales horum spectentur in aulis
 122 turba voluptates mixta libidinibus.
 123 Quis ferat exstructis, quorum tot milia templis,
 124 invectum fastus divitis omne genus.
 125 Quorum sacra nihil nisi sunt spectacula vulgo,
 126 ipse tuum jures, Romule, munus agi.
 127 Insanis resonant clamoribus omnia, credas
 128 Arcadii pecoris rudere mille greges.
 129 Omnia quis referat quorum causa unica lucrum
 130 destituit veram cum pietate fidem ?
 131 Jam sacra tractantum populus, mystaeque minores,

132 quanta putas notrae crimina cladis erant ?
 133 Quando ita majorum vestigia certa sequuntur,
 134 ut quod aberrarint crimen habere putent.
 135 Recte equidem, si vera sequi, non falsa, professos
 136 si studeant Christo vivere, non homini.
 137 Nunc nihil improbius, nihil immoderatus illis,
 138 maxima pars quorum ditia templa colunt.
 139 Horum Evangelicis vita est ita consona verbis
 140 ut nihil inde magis credere abesse queas.
 141 His sunt arma, quibus pulcherrima sacra tuentur
 142 luxus, avarities, sors, gula, stupra, doli.
 143 Ah ! Pudet ulterius, nec enim decet, exprobrat autem
 144 qui volet hoc nostrum est, flere, dolere, queri.
 145 Non tamen haec omnes tam flagitiosa libido
 146 inficit, ut sanum nil superesse queat.
 147 Quamvis o nostri vindex fortissime honoris
 148 hoc etiam sanum vix reperisse licet.
 149 Quae loca nam nostrum non occupat illa per orbem
 150 colluvies ? Templis omnia plena vides.
 151 Atque utinam templis, sed qualia, Paule, docebas,
 152 non quibus exilio plecterer ipsa gravi.
 153 Cerne tot exhaustas urbes, populataque sacra
 154 inglue villas, oppida, rura, casas.
 155 Milia multa inopum gravibus depressa tributis
 156 istorum ficta religione vides.
 157 Ipsos invenies miserorum sanguine pastos,
 158 plus quam Sicelidum vivere delicias.
 159 Ut jam pura fides, doctrinaque sobria Christi
 160 in nugas ierint, crasse Epicure, tuas.
 161 Cum tamen haec adeo late se Lerna malorum
 162 derivet, tamen hoc improbiora queror.
 163 Haec sunt illa quibus pereo incessanter, et hujus
 164 majestas formae languit ante diem.
 165 Vulneror, ah, quoties tristis meminisse cuculli
 166 cogimur, haec nostri est maxima causa mali.
 167 Tam facile autumnis est numerare cadentia poma,
 168 tam folia arboribus lapsa jacere suis.
 169 Quam quot in his hominum celentur milia larvis,
 170 turba cliens ventri, nataque desidia.
 171 Tamquam simpliciter Christi pia sacra professum
 172 sit nihil, haec alia veste notanda fuit.
 173 Nempe sacram vestis puro sub pectore mentem
 174 arguit, ut nitidus dulcia vina color.
 175 Atque ut veste negant hominum se sorte teneri,
 176 sic homines fugiunt, et loca sola colunt.
 177 Pars procul urbanis sibi conciliabula quaerunt,
 178 pars habitant urbes moenia clausa tamen.
 179 His nihil in speciem pietate insignius usquam,
 180 quodque magis caelo posse placere putes.
 181 Verum ubi perspicies introrsus et omnia lustres,
 182 rarum animal dices esse bonum Monachum.
 183 Simplicitate rudem populum se ducere ficta,
 184 nil magis his doctum maximus orbis habet.
 185 Utque bonas artes sunt indoctissima semper
 186 pectora, sic passim dogmata falsa serunt.
 187 Sancta per innocuum spargunt mendacia vulgus
 188 deceptam quaerunt, inveniuntque fidem.
 189 Praecipue cum declamant, tum fortiter audent

190 esse boni, quales haec Camarina tulit.
 191 Tum mea transadigunt gravibus praecordia telis,
 192 tum miscent animae dira venena meae.
 193 Tunc utinam possem atque sine auribus esse liceret,
 194 scandala ne praesens cogerer ista pati.
 195 Quid memorem pompas, quibus illi sacra profanant
 196 praecipue in quorum corpore, pica sedet ?
 197 Nam vaga praecipue hoc sunt mendicabula vulgus
 198 partibus infestum letiferumque meis.
 199 Quamvis te praeunte boni de partibus illis,
 200 accedant nostrae pars bona militiae.
 201 Per quos jamdudum bona spes est facta futurum,
 202 ut redeant vires in mea membra suae.
 203 Cetera quae clausis colit alta silentia cellis,
 204 saginae immoritur turba beata suae.
 205 Hi neque verba dei tractant, neque commoda plebi
 206 ulla ferunt, soli nata propago sibi.
 207 Gens studiis inimica adeo, vitaeque colendae
 208 moribus, ut libros sit tenuisse nefas.
 209 Illorum patribus, nihil est abbatibus horum
 210 turgidius fastu, moribus improbius.
 211 Et nihil hi nostri praeter falsissima gestant
 212 nomina, et hinc nobis damna pudenda ferunt.
 213 Quando ita simplicitas sine fraude et credula vulgi
 214 hos ceu pro divis numinibusque colit.
 215 Negligitur generosa fides, fraternaque cessat
 216 gratia, spes operum pondere pressa jacet.
 217 Quae tibi non refero, quia te nescire putarim,
 218 per quem sunt orbi talia facta palam.
 219 Sed quia me decuit justae indulsisse querelae,
 220 forsitan et multis proderit ista queri.
 221 Nam neque lecturum solum te haec scripta putabam
 222 nec mea pressurum vulnera nocte gravi.
 223 Verum quid faciam ? Quo me (..) miserrima vertam ? (vers lacuneux)
 224 Fine quidem (ut pergam) nostra querela caret.
 225 Quando novae semper facies scelerumque figurae
 226 emergunt, neque nos cogere vela sinunt.
 227 Quid quibus aeratis meret indulgentia bullis ?
 228 Divorumque legunt nuntia falsa stipem ?
 229 Quam nobis fuit ista nocens maledicta hominum faex,
 230 qui secum superos ceu sua jura ferunt.
 231 Quid non cogit amor nummi ? Caelestia gratis
 232 sueta dari dignis, vendere dona docet.
 233 Nunc age caelestes titulos, et inania linque
 234 nomina, de reliqua condicione vide.
 235 Et quia liberius nihil est te meque, Luthere,
 236 ut decet, hinc omnis debet abesse timor.
 237 Jamque licet, vincitae liberrima verba loquemur
 238 sunt mihi, pro Christo, gaudia summa, pati.
 239 Scilicet afficient non una morte tyranni ?
 240 Jamdudum didici stare, perire, mori.
 241 Utque fremant ipsi terrena potentia reges,
 242 per tua servabit fortia facta deus.
 243 Qui nihil ut pejus peccent, hoc omnia perdunt
 244 crimine, quod Papae regna cruenta ferunt.
 245 Quod si sint etiam qui defendisse laborent,
 246 hos caecos animi fortiter esse puta,
 247 quos precor ipse suo veniens illuminet igni

248 membra deus, per quem qualiacumque traho.
 249 Ut quod debuerant, ipsi mea vulnera curent
 250 nec miserae inferri deteriora sinant.
 251 Quod quia (quos nosti) quidam feliciter audent
 252 parte mei videor libera facta mihi,
 253 gratia nate tibi carissime, quo sine nobis
 254 nec spes nec ratio vivere posse fuit.
 255 Nunc tamen improbitas etiam promiscua vulgi,
 256 vellit ad huc multa pectora nostra manu.
 257 Ut taceam quos sacra sua ditione tyrannis,
 258 opprimit, et certis legibus esse iubet.
 259 Ut rude praeteream populi genus agricoliarum
 260 vel propria gentem simplicitate bonam.
 261 Si non illa lupis pastoribus obvia semper
 262 iustitiae falso nomine praeda foret.
 263 Sed quoniam in melius tua contulit omnia virtus,
 264 haec quoque debemus, sicut et ista tibi.
 265 Illa magis cruciant, tot fultas legibus urbes
 266 humanis, nostri nominis esse vides.
 267 Sed tantum gaudere ducis cognomine nostri
 268 officio fidei Christidos esse nihil.
 269 Quamvis hac aliquae nolint se peste teneri
 270 excutiantque gravi libera colla iugo.
 271 Scit tuus in primis fama prior omnibus Albis,
 272 et tu, dissimules, maxime Rhene, licet.
 273 Hoc quoque scire, brevi cursu suus, audent Hieras
 274 hoc, quos et nimium est, et meminisse labor.
 275 Hinc tamen innumeris et adhuc mea pectora telis
 276 vulneror, heu, nullo milite tuta satis.
 277 Dum malesana ferox agitat discordia vulgus,
 278 aequaque pars causae est, pars inimica meae.
 279 Quando ita libertas Christum permissa sequentem
 280 libera ne carnem regna tenere sinat.
 281 Hoc meminisse pudet, quam multi mente sinistra
 282 accipiant, justa nec ratione notent.
 283 Jura magistratusque negant sibi tradita, nec se
 284 civili tolerant condicione regi.
 285 Omnia liberius faciunt dicuntque, quod audent,
 286 hoc etiam, dempta lege, licere putant.
 287 Saepius hinc caedes, hinc probra, et scandala vulgo
 288 spiritui carnis cum dominatur amor.
 289 Cumque fidem jactent plus quam apparentibus auctam
 290 indiciis, fructus adfluit inde nihil.
 291 Nempe fides latitat verborum tuta recessu,
 292 verba manent rebus dissona, crimen habent.
 293 Atque utinam non haec superet pars maxima nobis,
 294 hei mihi, quam multos ista ruina trahit.
 295 Quandoquidem vani, mundi fallentis, honores
 296 captivos animos divitiaeque tenent.
 297 Ah ! Quoties lacrimis dissolvor tota profusis,
 298 dum venit in mentem, maxime Paule, tui.
 299 Qui maria et terras pro me permensus, ad omnia
 300 invictus stabas, fulmina, vincla, minas.
 301 Te Christo ut populos tot lucravere laboris,
 302 nec ratio injustae terruit ulla viae.
 303 Tandem passe gravem sub iniquo Caesare casum,
 304 nunc colis aetherae regna beata plagae.
 305 Inde sed ut redeas, et in haec deformia casu

306 incurras, Christum saecula nosse neges.
 307 Tam pudor et probitas, et mutua gratia fratrum
 308 extincta, eversam deseruere fidem.
 309 Luxus opum, fraudes, amor immoderatus habendi
 310 invecta, hic regnum pro pietate tenent.
 311 Et dubitamus adhuc unde ista flagella malorum,
 312 unde tot hic possum cladibus orbis eat.
 313 Dum sequimur mandata hominum ceu vera, diuque
 314 nullum divinis credimus esse locum.
 315 Dum pater accitum Romanus ducit in hostem,
 316 non sua in hunc usum tradita signa Petro.
 317 Saecula pontificem viderunt nostra gerentem,
 318 heu, scelus, armata tela cruenta manu.
 319 Ipsarumque ovium respersum sanguine, nomen
 320 sumere pastoris, non puduisse, sibi.
 321 Hic est ille potens rex tot faciebus, et idem
 322 pastoris caelans sub pietate lupum.
 323 Heu, pudet ingratae meminisse incommoda Romae
 324 illa quibus terras inficit et maria.
 325 Ebria, plena, potens, diri contage veneni
 326 derivat pestes in mea membra suas.
 327 Nam quas illa nihil terrarum emisit in oras
 328 captivam quod me fecerit esse magis.
 329 Et quae plura tuis pro me sunt scripta libellis,
 330 quos mala ut exosa est, sic bona turba probat.
 331 Vindicis inde premit miseros gravis ira tonantis,
 332 hoc semper gravior, quo mage sera venit.
 333 Opprimimur nunc pestilibus, nunc tristibus annis
 334 mille modis, bello, carcere, clade, fame.
 335 Christe potens rerum, magni faber unice mundi,
 336 quid sibi tot facies, tot nova monstra volunt ?
 337 Quid sinis injustis lacerari legibus orbem ?
 338 Indignaque tuos condicione premi ?
 339 Sanguine quos et morte tua de morte redemptos
 340 adseris, adsertos est habuisse tuum.
 341 Ne premat incautos clades illa ultima mundi,
 342 quam metuo ne sit non procul illa dies.
 343 Namque quid o miseri plus recta moramur ab illis
 344 signa, quibus sunt haec tempora plena malis.
 345 Cerne senescentem per tot jam saecula mundum
 346 tempora priscorum consule quicquid habent.
 347 Ipse fere numquam pejora videbis ab illo
 348 tempore, quo terras opperuistis aquae.
 349 Quicquid enim ante illas vitiorum impura propago
 350 invexit, per nos auctius omne redit.
 351 Atque utinam redeat tantum, rediisse dolendum est
 352 jamdudum, et nostros implicuisse patres.
 353 A quibus indignos vulgata licentia mores
 354 intulit, et vitae perdidit omne decus.
 355 Paulatimque decens turpi corrumpit honestum,
 356 dum nisi divitias ducimus esse nihil.
 357 In sua nunc populus grassatur viscera Christi
 358 et quoties hostem non habet ipse sibi est.
 359 Ut taceam reges Aquilas, Gallumque rebellem,
 360 quosque suos motus Anglia dives agit.
 361 Aspice Sarmaticas bello fumare lacunas,
 362 atque hinc Saxonici respice ad arva soli.
 363 Omnia praegravibus bellorum motibus ardent,

364 omnia sunt armis plena, quiete vacant.
 365 Hinc age quam longa est qua se Germania in Austrum
 366 porrigit, invenies pacis inesse nihil.
 367 Itala quid referam ? Quid regna Hispana ? Quid hujus
 368 Urbis opes causas omnibus esse mali.
 369 Si namque hic populi pastor, quod debuit, esset,
 370 pastori similes forte habuisset oves.
 371 Nunc ita bellorum causas et semina nectit,
 372 ut paene hoc pacem solus ab orbe fuget.
 373 Atque utinam non haec incendia rupibus illis
 374 erumpant, quae nos nunc nimis atra premunt.
 375 Quos quia non satis est in mutua vulnera ferri
 376 bella etiam externi sanguinolenta movent
 377 impius Helladibus jam Turca erupit ab undis
 378 Pannonios victor depopulatus agros.
 379 Quam metuo ne fida tuos Germania fines,
 380 omnia concutiens ista ruina petat.
 381 Quod tamen avertat quem tu nunc prima negatum,
 382 adseris, et Christo vivere sola doces.
 383 Te quoque per Christum mea spes, mea vita, Luthere,
 384 non semel haec istos praemonuisse liquet.
 385 Istos, per facinus, rerum per aperta potitos
 386 crimina, qui vinctam me violenter habent.
 387 Te duce pars quorum cecidit bona, quae stetit ille
 388 vindice, qui terris non leve numen erat.
 389 Cujus ut indignas Christi per ovilia merces
 390 dejicis, iratum sic quoque ferre potes.
 391 Formidata prius per te sunt muta, jacentque
 392 fulmina, terribiles conticuere minae.
 393 Cessat inutilibus nunc orbi illudere Bullis,
 394 quis credat bullas tam valuisse diu ?
 395 Vendidit immenso vilem pro munere vestem
 396 clausa tua certe est ista taberna manu.
 397 Magno constiterat fasso delicta remitti
 398 quod nisi Papistis non licuisse palam est.
 399 Nunc iterum Christo licet auribus esse, hominumque
 400 cuilibet, et meritae ferre salutis opem.
 401 Tam facile effari est dirae scelera omnia Romae
 402 dicere quam guttas quot pluat Auster aquae.
 403 Quae tamen audet adhuc, si quis ferat, aedere, verum
 404 tu dabis ut ne sit, quod cupit esse, diu.
 405 Frivola degeneris vastabis regna tyranni,
 406 prosternes valida castra nefanda manu.
 407 Ipse tibi vires tam justa in proelia Christus
 408 influet, hinc victrix nunc quoque dextra tua est.
 409 Tu modo ne dubita Goliam spoliare jacentem,
 410 vulnera qui fundae non tulit ista tuae.
 411 Percutiet nostro sine milite Sennaheribam,
 412 cui meus hic populus, te duce, justa facit.
 413 Destruet ille Baal populum sine sanguine, persta
 414 tu modo Nansida fortior esse Jehu.
 415 Quaeque referre mora est aevi miracula vetusti,
 416 forte nec exemplis ipse monendus eras.
 417 Bestia capta quidem jam lenior ista veretur,
 418 quae videt in manibus ferrea vincla tuis.
 419 Te precor, afflictae vindex justissime matris,
 420 quam primum miserae, quod potes esse velis.
 421 Misce salutifera sitibundae pocula dextra,

422 scribe aliquid praesens littera nectar habet.
423 Praebe alimenta famem patienti, verba salutis
424 adsere, proclama, panis ab ore tuo est.
425 Questuram pejora graves vetuere catenae,
426 vix humilem tenuit languida dextra stilum.
427 Interea invito sint haec tibi scripta tyranno,
428 exutae vinclis liberiora leges.
